DE ARTE RHETORICA

IN

L. A. SENECAE TRAGOEDIIS PERSPICUA

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

CONSCRIPSIT

RICHARD M. SMITH

VIRGINIENSIS.

LIPSIAE

TYPIS O. PETERSII

1885.

GUILUELMO PETERS

PRAECEPTORI

HAS PRIMITIAS GRATE OFFERT

AUCTOR.

Prooemium.

Temporum quibus vivimus natura et indoles sua cuiusque atque animi habitus transiens quisquis scit quantum valeant, ille intelleget necesse nobis esse, antequam ad tractationem ipsam aggrediamur, et de auctore eiusque opere iudicemus, primum omnium, quid is qui scripsit efficere voluerit, quem sibi finem propositum habuerit, accurate videre, et, quo hunc finem et melius intellegere et rectius aestimare possimus, nos in vitam scriptoris temporum transferre.

Antequam igitur de his tragoediis sententiam feramus, reputare, quamquam minime ignotum est, volemus, inter quales aetatis condiciones qualium lectorum auditorumque in delectationem scriptae sint, et ad quam maxime sint rationem tractandae. Non omni ex loco spectanti apparet symmetria statuae aut picturae pulchritudo.

Quae ratio duobus est modis eruenda: internis momentis et externis; quorum priora in fabularum tractatione ipsa se ostendent. Sed et nunc, quaeso, liceat hoc (quod sane inter omnes constat) adfirmare, evidenter ex iis apparere rhetorica has fabulas arte esse scriptas.[1]) Attamen et hic duo argumentorum genera breviter indico: rerum tractatarum et sententiarum, *γνωμῶν* dico, apud Senecam et rhetores similitudinem. De sententiis alio est loco dicendum: themata autem erant quae in scholis maxime placebant (Q. II, 10, 5) 'magi et pestilentia et responsa et saeviores tragicis novercae', tyranni quoque et tyrannicidae et parricidia et veneficia[2]) et incesta matrum.[3])

---

1) Simili modo Quintilianus de Menandri fabulis iudicat: „Sed mihi longe magis orator probari in opere suo [Menander] videtur, nisi forte illa mala iudicia, quae Epitrepontes Epicleros Locroe habent, aut meditationes in Psophodee, Nomothete, Hypobolimaeo non omnibus oratoriis numeris sunt absolutae." (Q. X. 1,70).

2) Bernhardy § 53, Anm. 216.

3) Sic. Tac. dial. 35: „Tyrannicidarum praemia aut vitiatarum electiones aut pestilentiae remedia aut incesta matrum aut quidquid in schola quotidie

Seneca igitur, cum fabulas scribere instituisset, talia potissimum argumenta eligens hoc statim initio inter scholasticos formatam mentem detegit.

Sed interna momenta cum per se satisfaciant, ad externa transeamus, non quasi ad probationem necessaria sint, sed ut lucis his aliquid adferamus. Ne autem in rebus iam diu cognitis huius disputationis modum excedam, quae de aetatis illius universae studiis rhetoricis tradita sunt leviter tangens, ut quae aliis libris iam saepe ac bene tractata sint,[1]) me in iis continebo quae ad Senecam ipsum spectant.

Scimus Senecae temporibus statim ex scholis grammaticorum (qui et ipsi discipulos in rebus rhetoricis exercebant) in rhetorum adulescentes transmigrasse ibique institutionem accepisse reliquam.[2]) Cf. Quintiliani locos:

(De officio grammatici)

„Adiciamus tamen eorum curae quaedam dicendi primordia, quibus aetates nondum rhetorem capientes instituant.“ (I, 9, 1.)

„Sententiae quoque et chriae et ethologiae subiectis dictorum rationibus apud grammaticos scribantur“. (I, 9, 3.)

„Tenuit consuetudo . . . . . . ut praeceptoribus eloquentiae . . . discipuli serius, quam ratio postulat traderentur, ... quod et rhetores, utique nostri, suas partes omiserunt et grammatici alienas occupaverunt. Nam et illi declamare modo et scientiam declamandi ac facultatem tradere officii sui ducunt . . . . et hi . . . . . . ad prosopopoeias usque ac suasorias, in quibus onus dicendi vel maximum est, inrumpunt“. (II, 1, 1—2.)

Neque solum discipuli huius modi occupationibus pueritiam atque adulescentiam terebant; e scholis egressos recipiebant recitationes; quibus etiam viri inlustrissimi, ut sub Caesare Octaviano Asinius

---

agitur.“ cf. Juv. VII, 150—1: „Declamare doces? O ferrea pectora Vecti quum perimit saevos classis numerosa tyrannos!“

1) Cf. Friedl., Sittengesch. III, 331 sqq. Bernh. Röm. Litgesch. § 53, Bonnell, De mutata sub primis Caesaribus eloq. Rom. condicione, inprimis de rhetorum scholis (Prog. Berl. 1836), Esser, de natura eloq. rom. sub Caesaribus, A. Wittich, De rhetor. lat. eorumque scholis (Prog. Eisenach 1853), Körber, Ueber d. Rhet. Sen. u. die rom. Rhet. seiner Zeit, H. Schiller, D. röm. Kaiserreich unter Nero 560 sqq., Manso, „Ueber d. rhetor. Gepräge der röm. Litt.“ Gym. Prog. Breslau 1818.

2) Friedl. Sgesch. 343 sqq.

Pollio Messala Agrippa Maecenas, et princeps ipse saepe adfuit.[1])

Sed non Augustus tantum, sequentes quoque Caesares has exercitationes foverunt. Nero quidem et ante et post quam imperare coepit ipse declamabat.

Salse derident Horatius Petronius Persius Juvenalis declamandi aut recitandi insaniam aequalium suorum praecipue poetarum.

Quidquid novi scriptum erat, auditores primum de eo iudicabant.

His de causis Roma auditorium magnum factum est, ubi recitationum clamores in omnibus urbis regionibus strepebant, et omnia fere quae ea aetate scripta sunt, rhetoricum habent colorem.

Senecam et ipsum his studiis aliquandiu deditum fuisse, quamquam et orationes[2]) eius fuisse et eum omnia rhetorice scripsisse iam omnes scimus, paucis est verbis exponendum. Causas enim exquirere volumus cur hoc scribendi genere usus sit. Quarum unam institutionem rhetoricam fuisse credo, etsi longius aetate provectus de talibus studiis non sine contemptione scripsit.[3])

Filius rhetoris fuit.[4])

Pater eius testis producatur:

„Nolo autem vos, iuvenes mei, [sunt Novatus, Seneca, Mela] contristari, quod a declamatoribus ad historicos transeo.“ (S. 6,16)

„Si hic desiero, scio futurum ut vos illo loco desinatis legere, quo ego a scholasticis recessi.“ (S. 6, 27). „[Est mihi iucundum] vobis querentibus, quod tantae opinionis viros audire non potueritis, detrahere temporum imiuriam“ (C. I, Pr. 1).

---

1) Cf. C. II, 4; X, 5, 22; Ex. C. VI, 8: „Varius Geminus apud Caesarem dixit: Caesar, qui apud te audent dicere, magnitudinem tuam ignorant, qui non audent, humanitatem.“ Suet. Aug. 89:“ Recitantes et benigne et patienter audivit: nec tantum carmina et historias sed et orationes et dialogos.“

2) Ad. Q. X, 1, 129; XII, 10, 11, aliaque nota documenta, addo Ep. Mor. V, 9, 2: „Quid enim non modo est, si recorderis? modo apud Sotionem philosophum puer sedi, modo causas agere coepi, modo desii velle agere, modo desii posse.“

3) Cf. Ep. Mor. 114; IV, 11; XVI, 5; XIX, 5 et 6: „Cuiuscunque orationem videris sollicitam et politam scito animum quoque non minus esse pusillis occupatum.“ (XIX, 6, 1.)

4) Quaestionem num Lucius Annaeus Seneca harum tragoediarum omnium auctor fuerit quamquam de Agamemnone et Hercule [Oetaeo] disputatum est, neglego, nisi quod, quotiens sine digressione potero, quos novi locos aut in his fabulis aut in aliis scriptis inter se similes, colligere et ita componere conabor, ut similitudo appareat.

„Facitis autem, iuvenes mei, rem necessariam et utilem quod non contenti exemplis saeculi nostri, prioris quoque vultis cognoscere.“ (ibid 6.)

„Instatis mihi cotidie de Albutio“ (C. VIII, Pr. 1).

„De Scauro si me interrogatis, cum illum mecum audieritis, iniqui estis.“ (C. X, Pr. 2).

„Musa rhetor, quem interdum solebatis audire . . . . . ; aut illud quod de subitis mortibus memini eum dicentem cum vos me illo perduxissetis.“ (C. X, Pr. 9): unde eorum studium apparet.

„Cum Basso certamen illi (Sparso) fuit, quem vos quoque audistis.“ (ibid. 12).

Animadvertamus patrem semper ita scribere quasi omnes tres filii una rhetores audierint, id enim indicat certo instituto et consuetudine non casu eos auditoria circumisse.

Denique in Luci ipsius scriptis docemur Fabianum (Ep. Mor. XVI, 5, 12), sed, ut videtur, iam philosophum ex rhetore factum, et, id quod verisimile saltem est, Haterium (Ep. Mor. IV, 11 et 10) ab eo auditos esse.

Itaque ex momentis externis quoque videtur, ut in rhetorum discipulo rhetoricae aetati scribente, rhetoricum scribendi genus quaerendum. Quod cum re vera inveniatur, necesse erit, ut hae fabulae nobis voluptatem quam debent praebeant, ad saeculi illius studia reverti et ea quae Seneca assecutus est ornamenta rhetorica intellegere conari. Nam, sicut in arte logica, quamquam rudes quoque plerumque λογικῶς cogitant, necesse est, si aut errores accurate notare aut conclusiones bonas bonas esse scire et demonstrare posse volumus, ex studio leges cognoscere e quibus normam et confidentiam iudicandi habeamus; sic, cum ars rhetorica, quoad probanda est e natura pendens, non tamen ex unius natura mendosa et angusta pendeat, debemus et ipsi, si in rebus talibus idonei iudices esse volumus, nos ad id officium praeparare.

Nec locutiones tantum artis propriae quaerendae sunt, declamationi quoque consultum est. Quam dignam fuisse cui consuleretur nemo negabit, nisi qui et musicam, motus decoros — omnem et formarum venustatem et sonorum harmoniam contemnit. Nonnunquam sensus sono servit: minime est optandum, si tamen aliquid efficitur, se ex parte excusare orator potest.

Narrat Seneca pater Latronem auditores quondam, ut iis neglegentiam exprobraret, sententiis canoris sed sensu carentibus decepisse

atque ita delectasse ut maximo clamore laudaretur. Hoc stultitiam audientium ostendit? Sed etiam virtutem declamationis. Et quod sensum nullum praebuit, quod ab ea parte pulchrum erat, delectare potuit Sine dubio non quia sensum nullum praebuit. Alicubi eam vim latere necesse est, quae talia efficere possit.

Propositum igitur erat dignum, et, si Seneca fabulas scripsit quae bene declamari possent, in ea parte laudandus est. Ex rerum autem necessitate tragoediae tales, cum tacite leguntur, non aeque delectant ac si ad tacite legendum scriptae essent.

Rhetoricae igitur rationes nos ducent. Sed antequam singula persequimur, considerandum est quod universum scribendi genus effectum sit.

Declamandi bene opportunitas petitur. Invenimus igitur omnia sententiarum genera quae pronuntiationem pulchram admittunt, ut mutationes subitas, ubi vox et vultus declamantis celeriter variantur, inconstantes adfectus haesitantis et cum se ipso deliberantis aut quandam visionem percipientis (ut in Med. 958 sqq, HO. 1000 sqq, 1432 sqq.) asyndeta, exclamationes, implorationes, apostrophas, rhetoricam verborum collocationem, periodos oratorias, soliloquia acria aut grandia, Saepe oblique dicitur ut verborum obscuritatem vultus et vox interpretentur.

Doctrina et studia rhetorica ostenduntur. Quibus in rebus singulis Quintilianum potissimum sequar, qui hanc partem libris Institutionis Oratoriae octavo et nono tractavit. Eo auctore elocutionis (quae *φράσις* Graece vocatur) tres sunt gradus, perspicuitas probabilitas ornatus (VIII, 3, 1 et 61). Quorum primi duo cum omnium sint scriptorum, in ornatus solum generibus indicia rhetoricae artis quaeremus.[1])

Denique multis locutionibus aliisque rebus quae magis ex usu scholastico et imitatione quam ex libris nascuntur rhetorum discipulus arguetur.[2])

Multum autem difficultatis nobis in hac dissertatione inde oritur, quod in scholis tantum temporis poetis legendis impertiebatur. Nam, rhetoribus et poetis se invicem imitantibus, minus facile agnosci potest quid institutio rhetorica effecerit.

---

1) „Figurandarum sententiarum et elocutionum proprium oratoris munus est.“ (Aquila Romanus, de fig. sent et eloc., Pro.)

2) Liber, quem scripsit Ernesti „De eloquentiae poetarum lat. luxurie“ legentibus proderit.

I. De Declamatione.

De declamatione supervacaneum erat si multa monere vellem. Tamen in mente tenendum est, quo vocis apta variatio et gesticulatio venusta ac verbis consentiens maiorem apud Romanos habuerint honorem quam apud nos, eo magis eas dignas fuisse quibus fabularum scriptor consuleret. Cum igitur pauca de actione apud Romanos dixero, locos quosdam e tragoediis ponam e quibus quid Seneca ab hac parte perfecerit iudicemus.

Audivimus Demosthenem quae oratori maxime essent necessaria percontanti ὑπόκρισιν respondisse ac semper ὑπόκρισιν, donec interrogari desitus est.

Cicero, qui hoc etiam narrat, cum illo consentit, dicit enim[1]) actionem in dicendo unam dominari; sine hac summum oratorem esse in numero nullo posse. Vehementia dicentium, partim quia eorum ars in gestu adhibendo a nobis sentiri nequit, saepe mira videtur nonnunquam vero etiam risum movet.

In Disp. Tusc. (II, 24) postquam dictum est eos qui maius exclamare vellent non satis habere latera fauces linguam intendere sed toto corpore contentioni vocis adservire, additur: „Genu mehercule M. Antonium vidi, cum contente pro se ipse lege Varia diceret terram tangere.“ Saepe qui dicebat amicorum erat manibus sustinendus, quod dixit Quintilianus nisi plane iusta fatigatione esse delicatum.[2])

G. Gracchi contionantis pronuntiationem libertinus regebat, qui fistula aut nimis remissum excitabat aut revocabat plus iusto concitatum.[3]) Locum dicens, qui nos non nimia admiratione adficit, traditur a c t i o n e praeclara etiam inimicis lacrimas expressisse. Sed

1) De Orat. III, 56.
2) Q. XI, 3, 132.
3) Cf. Valer. Max. VIII, 10, 1.

sine dubio dignitate viri et misericordia multum effectum est. De quo Cicero[1]) „Quid fuit in Graccho, inquit, quod me puero tanto opere efferretur: 'Quo me miser conferam? quo vertam? In capitolium? At fratris sanguine madet. An domum? Matremne ut miseram lamentantem videam et abiectam?' Quae sic ab illo esse acta constabat oculis, voce, gestu inimici ut lacrimas tenere non possent." Quintilianus (II, 3, 116) etiam de gestu idoneo — manibus iunctis — praecipit.

Sed in primis Hortensius famam actione consecutus est. (Q. II, 3, 8). Difficilis erat, ut tradit Valerius Maximus (VIII, 10, 2), diiudicatio utrum cupidius ad eum audiendum an spectandum homines concurrerent, et constare adfirmat Aesopum et Roscium frequenter in corona audientium adstitisse ut eius gestus in scaenam transferrent.

Demosthenes ipse apud Andronicum histrionem studuit grandeque speculum intuens se in actione exercebat,[2]) et Cicero apud Macrobium[3]) dicitur cum Roscio contendere solitus esse utrum hic saepius eandem sententiam variis gestibus exprimeret an ipse sermone diverso pronuntiaret. In scaena gesticulatio multo etiam accuratior postulabatur, ita ut duobus histrionibus eadem persona tribui posset, quorum alter verba caneret alter gestibus vultusque mutationibus adsisteret[4]). Hoc etiam in recitationibus fieri poterat, ut apud Plinium minorem legimus, qui, cum ipse versus male recitaret, a Suetonio consilium petit utrum liberto ad hoc adhibito, ipse 'defixus et mutus et similis otioso sedere debeat an, ut quidam, illius pronuntiationem murmure oculis manu prosequi.' (Ep. IX, 34).

Ea ratione, qua in libro tertio de Oratore dicitur omnem motum animi suum quendam a natura habere vultum et sonum et gestum, omnes erant sententiae vocis et actionis vi aut lenociniis ornandae. Sic in hoc:

„Quo núnc me vertam? quod iter incipiam ingredi?
Domum paternamne? anne ad Peliae filias?"

Flexibili plena interrupta flebili voce docet Cicero utendum, et aliis exemplis pluribus appositis, pergit: „Omnes autem hos motus [Cf. paulo supra: omnis enim motus animi e. q. s.] subsequi debet

---

1) De Orat. III. 56.
2) Q. XI, 3, 68.
3) Macrob. III, 14, 12.
4) Liv. VII, 2,

gestus, non hic verba exprimens scaenicus, sed universam rem et sententiam non demonstratione sed significatione declarans."[1])

Et in versibus sequentibus „Quid igitur faciam? non eam ne nunc quidem, Cum arcessor ultro? an potius ita me comparem non perpeti mererticum contumelias?"

dicit Quintilianus actori dubitationis moras, vocis flexus, varias manus, diversos nutus adhibendos esse.[2]) In vultu maximum positum erat momentum sed toto corpore et omnibus corporis partibus, capite, superciliis, oculis, labris, umeris, bracchiis, manibus, pedibus, quotiens res postulaverat, pronuntiationi inserviendum erat.

Tragoediae Senecae hac ex parte multas opportunitates artis exercendae actori vel recitatori dederunt. Sed, ut ad exempla accedam, mutationes subitas inter alios locos praebent Hf. 82—3, 108—11, 307—8, Oed. 668, 1051, Thy. 95, sqq. Med. 988—9, HO. 308 sqq.,

Exempla

Hf. 307—8. Aut omnes tuo
Defende reditu sospes aut omnes trahe —
Trahes nec ullus eriget fractos deus.

H. O. 304—5. Capta praelata est mihi? —
Non praeferetur et cetera.

Med. 561—2. Excidimus tibi? —
Numquam excidemus e. q. s.

Oed. 1051. I profuge vade — siste ne in matrem incidas

Thy. 67. Inveni dapes
Quas ipse fugeres — siste; quo praeceps ruis?

Bene declamari possunt, ut ex multis paucos locos eligam,

Hf. 514, sqq. Pro numinum vis summa, pro caelestium
rector parensque, cuius excussis tremunt
humana telis, impiam regis feri
compesce dextram — quid deos frustra precor?
ubicumque es, audi, nate — cur subito labant
agitata motu templa? cur mugit solum?
audimur, — est — est sonitus Herculei gradus.

Hic habemus implorationes — mutationes alteram cum indignatione quadam alteram cum miratione, — spem nascentem quae

1) De Orat. III, 58.
2) XI, 3, 182.

deinde in certum et gratum transit sensum salutis. Cum ultimo versu conferte H. O. versum similem (1130): „Est — est — Herculeus sonus“, et illum Byronis: „Arm, arm, it is - it is - the cannons' opening roar.“

Tro. 605-14. (laete) Expleta fata stirpe sublata Hectoris
solidamque pacem laetus ad Danaos feram —
quid agis, Ulixe? Danaidae credent tibi:
tu cui? parénti — fingit an quisquam hoc parens,
nec abominandae mortis auspicium pavet?
auspícia metuunt qui nihil maius timent,
fidem alligavit iure iurando suam —
si peierat, timere quid gravius potest? —
nunc advoca astus, anime, nunc fraudes dolos
nunc totum Ulixen; — veritas nunquam perit.

678—94 Ul. Cessatis et vos flebilis clamor movet
furorque cassus féminae? iussa ocius
peragite. **Andr.** Mé, me sternite hoc ferro prius!
repellor, heu me. — rumpe fatorum moras,
molire terras, Hector, ut Ulixen domes.
Vel úmbra satis es — arma concussit manu —
iaculatur ignes — cernitis, Danai, Hectorem?
an sola video? **Ul.** Funditus cuncta eruam.

And. Quid agis? ruina pariter et natum et virum
prosternis una? forsitan Danaos prece
placare poteris. — conditum illidet statim
immane busti pondus. — intereat miser
ubicúnque potius, ne pater natum obruat
prematque patrem natus. — Ad genua accido
supplex, Ulixe, quamque nullius pedes
novere dextram pedibus admoveo tuis —
miserere matris.

888—902. Hoc derat unum Phrygibus eversis malum
gaudére — flagrant strata passim Pergama —
o coniugale tempus! an quisquam audeat
negare? quisquam dubius ad thalamos eat
quos Hélena suadet? — pestis, exitium, lues
utriusque populi, cernis hos tumulos ducum

et nuda totis ossa quae passim iacent
inhumata campis? haec hymen sparsit tuus.
tibi fluxit Asiae, fluxit Europae cruor,
cum dimicantes laeta prospiceres viros —
incerta voti — perge — thalamos appara.
taedis quid opus est, quidve solemni face —
quid igne? thalamis Troia praelucet novis.
celebrate Pyrrhi, Troades, conubia,
celebrate digne — planctus et gemitus sonet.

Phoen. 38-50. Semper cruente saeve crudelis ferox,
cum occidis et cum parcis, olim iam tuum
est hoc cadaver; perage mandatum patris —
iam et matris. animus gestit antiqua exequi
supplicia. — quid me, nata, pestifero tenes
amore vinctum — quid tenes? genitor vocat. —
sequor — sequor. — iam parce — sanguineum gerens
insigne regni Laius rapti furit:
en ecce inanes manibus infestis petit
foditque vultus e. q. s.

Videmus in Oedipodis vv. 295 sqq. quomodo ars haud spernenda inanitate scholastica perdita sit. Hyperbolis in melius emendatis pulcher sit locus. Ita ut res se habet bene declamari potest.

Phoen. 303-19. Scio quo ferantur, quanta moliri parent,
ideoque leti quaero maturam viam
morique propero, dum in domo nemo est mea
nocentior me. — nata, quid genibus meis
fles advoluta? quid prece indomitum domas?
unum hoc habet fortuna quo possim capi
invictus aliis: sola tu affectus potes
mollire duros, sola pietatem in domo
docere nostra . . . .
. . . .
. . . .
. . . . tu tantum impera
hic Oedipus Aegaea transnabit freta,
iubente te, flammasque quas Siculo vomit
de monte tellus igneos volvens globos,
excipiet ore seque serpenti offeret,

quae saeva furto nemoris Herculeo furit;
iubente te praebebit alitibus iecur —
iubente te — vel vívet!

Hic, consilio mortis dimisso, Antigonam, quae flens ad pedes iacebat, sublevat et, dum pater amore victus et filia, lacrimis gaudio cedentibus, se amplexos tenent, scaena finitur.[1])

H. O. 1823—7. Reliquias magni Herculis
quis populus aut quae templa, quae gentes rogant?
quis, quis petit, quis poscit Alcmenes onus?
quae tibi sepulchra, nate, quis tumulus sat est?
— hic totus órbis: fáma erit titulus tibi.

Ultimum adfero Herculis furentis locum ad declamandum egregie scriptum:

Hf. 1138—1200. Quis hic locus — quae regio — quae mundi plaga?
ubi sum? — sub ortu solis, an sub cardine
glacialis ursae? numquid Hesperii maris
extrema tellus hunc dat Oceano modum?
quas trahimus auras? — quod solum fesso subest?
certe redimus — únde prostrata ad domum
video cruenta corpora? an nondum exuit
simulacra mens inferna? post reditus quoque
oberrat oculis turba feralis meis? —
pudet fateri — páveo. nescio quod mihi
nescio quod animus grande praesagit malum.
— ubi es, parens? ubi illa natorum grege
animosa coniunx? — cur latus laevum vacat
spolio leonis? — quonam abit tegimen meum
idemque somno mollis Herculeo torus? —

1) Si ad hunc versum imperfectum similes Troadum versus 408 et 1103 addiderimus et Phoen. 139—40, Phaedr. 403—4, videbimus (nec novum est) Senecam magis curae habuisse ut bene declamaretur quam ut tragoedias integras scriberet. Sic in Troadibus, ubi multos iam versus chorus asclepiadeo metro decantavit, ponitur

Quaeris quo iaceas post obitum loco?
Quo non nata iacent.

Nam concise hanc sententiam exprimere voluit quam Ep. Mor. VI, 2, 3 explicat: „At ego illam [mortem] diu expertus sum. Quando? inquit. Antequam nascerer. Mors est non esse: id quale sit scio. hoc erit post me quod ante me fuit.“

— ubi téla? — ubi árcus? — arma quís vivo mihi
detrahere potuit? spolia quís tanta abstulit
ipsumque quis non Herculis somnum horruit?
exurge, virtus, quem novum caelo pater
genuit relicto, cuius in fetu stetit
nox longior quam nostra — quod cerno nefas?
nati cruenta caede confecti iacent,
perempta coniunx, quis Lycus regnum obtinet,
Hercule reverso? . . . . .
. . . .
ruat ira in omnes: hostis est quisquis mihi
non monstrat hostem. victor Alcidae, lates?
. . . .
en nudus asto: vel meis armis licet
petas inermem. — Cúr meos Theseus fugit
paterque vultus? ora cúr condunt sua?
differte fletus; quís meos dederit neci —
omnes simul — profáre, — quid, genitor? silés?
at tu ede, Theseu — sed tua, Theseu, fide. —
uterque tacitus ora pudibunda obtegit
furtimque lacrimas fundit. in tantis malis
quid est pudendum? . . . . .
. . . .
fare, quís fudit domum?
cui praeda iacui? **Amph.** Tacita sic abeant mala
cladis tuae pars ista quam nosti quota est?
Herc. Miserere, genitor, supplices tendo manus —
quid hóc? manus refúgit — hic errat scelus
unde hic cruor? quid illa puerili madens
harundo leto? — tincta Lernaea est nece —
iam tela video nostra — non quaero manum.
quis potuit arcum flectere aut quae dextera
sinuare nervum vix recedentem mihi?
— ad vos revertor; genitor hoc nostrum est scelus?
— tacuere — nóstrum est. **Amph.** . . . .
. . . .
Herc. Nunc parte ab omni, genitor, iratus tona e. q. s.[1])

1) Cf. Med. 531: „Nunc, summe, toto, Juppiter, caelo tona" in re simili dictum, et
H. O. 1138: Nunc partem in omnem, Juppiter, specta poli.

II. De Doctrina rhetorica.

1. DESCRIPTIONES.

Ornatus sermonis coniuncti tractans Quintilianus a descriptionis ornamentis incipit, inter quae habemus (VIII, 3, 61 sqq.) *ἐνάργειαν*, similitudinem, brevitatem, *ἔμφασιν, δείνωσιν, φαντασίαν.* Adicio, quod hic ordo, alioqui probabilis, ad propositum meum se accommodat, ex tropis translationem (id est *μεταφοράν*), „quae brevior est similitudo“ et *ἐπίθετον* quod ‚maxime translationibus exornatur‘; ex figuris, sub oculos subiectionem. Hae enim omnes sermonis rationes inter se tam arte cohaerent ut uno sit loco de iis disserendum.

Sed antequam singula exempla quaerimus, pauca de his figuris atque eorum apud rhetores frequentia in universum dicenda sunt. De ornatibus, qui sunt *ἐνάργεια*, id est clara et evidens narratio, sub oculos subiectio, *φαντασία*, similitudo, brevitas, non est cur dicam. In reliquis Quintiliani ipsis verbis, quoad potero, utar.

De translatione scripsit Cicero: „Modus autem nullus est florentior in singulis verbis nec qui plus luminis adferat orationi.“ (De Orat. III, 41, 66). In eandem sententiam Quintilianus: „. . . . qui cum frequentissimus est, tum longe pulcherrimus, translatione dicetur“ (VIII, 6, 4).

Ἐπίθετον ‚maxime translationibus exornatur, ut cupiditas effrenata, insanae substuctiones. Oratori licet eo uti, si sine illo quod dicitur minus est; qualia sunt: O scelus abominandum! O deformem libidinem!‘ (VIII, 6, 40—41).

Iam rhetores eorumque discipulos descriptionibus libentissime indulsisse nemo nescit qui eorum reliquias legit. Quod tamen evidenter, sed quam brevissime potero, ante oculos ponere conabor.

Quintilianus (VI, 1—2) adfectus movendos tractans, ut rem in oratione praecipuam, dicit (VI, 2, 30) eum in adfectibus potentissimum

fore, qui imagines rerum absentium optime conceperit. „Novi vero," inquit idem (IX, 2, 42) et praecipue declamatores audacius nec mehercule sine motu quodam imaginantur."

In Senecae quoque rhetoris libris suasorias et controversias, quibus ipse adfuerat, continentibus cum ubique descriptiones memorentur, haec tamen duobus tantum ex locis sumpta, doceant quo in numero et honore illae fuerint:

Contr. I, 4,

2: „Triarii . . . . . Descriptio pugnantis viri fortis" . . .

7: „Latro descripsit stuporem totius corporis in tam inopinati flagitii spectaculo . . . . et cum oculorum caliginem, animi defectionem, membrorum omnium torporem descripsisset, adiecit" e. q. s.

. . . . 8: et in descriptione dixit [Albucius]" . . . .

9: „et illud post descriptionem adiecit [Blandus]" . . . .

12: „Latro cum exeuntes adulteros descripsisset." . . . .

„Sed illud Albuci . . . cum pugnantem se in acie descripsisset".

Contr. II. Pro.,

1: De Fusco Arellio: „in descriptionibus extra legem omnibus verbis, dummodo niterent, permissa libertas." De Fabiano 3: „suasoriis aptior erat; locorum habitus fluminumque decursus et urbium situs moresque populorum nemo descripsit abundantius": ubi verba „nemo descripsit abundantius" etiam indicio sunt quam usitatae fuerint tales descriptiones.

Alia duo addo documenta, quae Suas. I, 15 et Contr. II, 1, 26 praebent: „Latini declamatores in descriptione Oceani non nimis viguerunt; nam aut minus descripserunt aut [nimis] curiose." (S. I, 15.) „Hic controversiam postero die, quam erat a Fabiano dicta, declamavit; solebat autem sic ad locos pervenire ut amorem descripturus paene cantantis modo diceret ‚amorem describere volo' sic tamquam ‚bacchari volo', deinde describebat et totiens coepturus repetebat: ‚amorem describere volo'. In hac controversia plane quod voluit consecutus est, ut divitias nobis in odium adduceret saepe enim ingessit ‚divitias describere volo' et multa facunde explicuit, corruptius quam Fabianus sed dulcius." Contr. II, 1, 26.

Tales rhetorum locos avidissimis auribus exceptos esse ex suasoriarum loco discimus (II, 10), ubi Seneca scribit nihil se iuvene tam notum fuisse quam explicationes Fusci: quas se omnes alia alias inclinatione vocis cantare solitos esse. Quis nunc dubitare potest, quin apud Senecam filium in eius descriptionibus, descriptiones rhetorum

quos, ut ostendimus, saepe audiverat, multum valuerint? Quae si in eius tragoediis multo erunt frequentiores quam apud tragicos Graecorum poetas, a quibus argumenta fabularum mutuatus est, iure poterimus in hoc, quod voluntate et iudicio effectum est, rhetorum imitationem agnoscere.

Frequentia haec maximum erit artis rhetoricae indicium. Sed exercitatio in discentibus sub magistro duas alias res plerumque gignit: facultatem veram et imitandi consuetudinem. Qua de causa in rem erit exempla adferre, quibus et hae inlustrentur.

Sed ad tragoedias ipsas iam aggrediamur.

Frequentia. Primum igitur, quod ad frequentiam pertinet, animadvertendum est in omnibus novem fabulis, Phoenissis, quae tragoedia non est integra, et Medea exceptis, narrationes longas, maximam partem descriptiones, occurrere saepe amplius C. versuum, ut:

Hf. 661—827. Spartana tellus nobile attulit iugum —
— tum sub Herculeas caput abscondit umbras

Tro. 1068—1194. Est una magna turris e Troia super —
saevusque totum sanguinem tumulus bibit

Phaed. 1000-1108. Ut profugus urbem liquit infesto gradu —
maestaeque domini membra vestigant canes

Monstrum marinum et Hippolyti interitum describit. Cf. S. I, 13: „Menestrati . . . cum describeret beluarum in Oceano nascentium magnitudinem“.

Oed. 309—383. Utrumne clarus ignis et nitidus stetit —
immugit aris ignis et trepidant foci

ibid. 530—625. Est procul ab urbe lucus ilicibus niger —
— paedore foedo squalidam obtectus comam

Ag. 421—578. Tempestatis descriptio:
Ut Pergamum omne Dorica cecidit face —
Et damna noctis tristis ostendit dies

Thy. 641—775. In arce summa Pelopiae pars est domus
ipsos penates nube deformi obsidet

ubi Atreus Thyestae filios sacrificans describitur.

H. O. 1618—1754. Ut omnis Oeten maesta corripuit manus
appeteret ignis, lamberent flammae caput.

Neque recusat Seneca quin explicatione narrationem interrumpat, ut:

„Robore experto tumet,
et posse caelum viribus vinci suis,
Hf. 70. sqq. didicit ferendo (subdidit mundo caput
nec flexit umeros molis immensae labor
meliusque collo sedit Herculeo polus.
immota cervix sidera et caelum tulit
et me prementem) quaerit ad superos viam.
Perge, ira, perge et magna meditantem opprime."

Alia exempla sunt Hf. 286 sqq.; Oed. 117 sqq., 493 sqq.; 732 sqq.; **Ag. 343.** sqq.; Thy. 709 sqq., 728 sqq., 734 sqq.

Nonnunquam, dum explicationem poeta captat, admodum incommodo tempore inserit. Sic in Thyesta (633 sqq.), postquam Atreus fratris liberos trucidavit, nuntius praeceps se ex regia effert quaerens solito apud Senecam more, Quaenam regio sit, utrum Argos et Sparta et Corinthus, an feris Hister fugam praebens Alanis an Hyrcana tellus aeterna nive obruta an vagi Scythae, et rhetorice interrogans, quis ventus se per auras sit avecturus. Cui attonito cum chorus occurrisset, malum pandere iussit. Quod ille, iterum precatus ut procellae se procul auferant promittit se facturum, ‚si steterit animus, si metu corpus rigens remittat artus.‘ Iterum instat chorus: „effare ocius." Sed quid facit ille? Locum facinoris perpetrati multis verbis describit[1] neque ante versum 42 ne minimo quidem verbo nefas ipsum tangit.

Chor. Animos gravius incertos tenes.
quid sit quod horres ede et auctorem indica:
non quaero quis sit sed uter. effare ocius.
Nunt: In arce summa Pelopiae pars est domus
conversa ad austros, cuius extremum latus e. q. s.

Aliud est in Hercule Oetaeo (v. 772—841) ubi Deianira quae se occidere vult antequam maritus eius moriatur, „An possum prior, inquit, mortem occupare? fare, si nondum occidit." Cui respondet Hyllus descriptione longa neque illius interrogationem re vera ullo loco respicit. Nam ex eo quod demum post versus 64 dixit, nihil illa intellegere potuit nisi forte Herculem iam esse mortuum: (Destituit animus membra, nox oculos premit.) Ne autem iniquus sim, dicendum est paulo antea Hyllum matri respondentem patrem non mortuum esse significasse et Deianiram ipsam magis verbis inanibus queri quam quaerere. De tertio (Hf. 592—617) dixit Leo I, 161.

1) Τοποθεσία talis descriptio dicitur. (Rhet. Min. ed. Halm. p. 73 § 12.

EPITHETORUM DENSITATIS ad *ταυτολογίαν* accedentis exempla praebent Hf. 284, 301—2 (tibi muta fide | longas Eleusin tacita iactabit faces), 397, 420, 536 (et mutis tacitum litoribus mare), 680, 950, Tro. 780, Phaed. 763 (ut velox celeri pede laberis), 902 (concitum celeri pede), 1001 (celerem citatis passibus), 1193, Oed. 3, Ag. 126—7 (impotens tumido feroces impetus animo), Thy. 621—2 (celeri citatas turbine), H. O. 700 (pavido territa vultu), H. O. 1212 (vasta tumidi mole gigantis),

Phaedr. 601. En locus ab omni liber arbitrio vacat,
H. O. 484. En locus ab omni tutus arbitrio vacat.

De *συναθροισμῷ* qui in epithetis praecipue adhibetur, in figuris verborum dicemus.

Neque fugere nos potest quam religiose, ut ita dicam, verba nuda sine appositis a Seneca vitentur.

Sic versibus sequentibus pastor cum grege in prato inducitur ubi epitheta in primis notanda:

Hf. 139—45. Pastor gelida cana pruina
grege dimisso pabula carpit;
ludit prato liber aperto
nondum rupta fronte invencus,
vacuae reparant ubera matres;
errat cursu levis incerto
molli petulans haedus in herba.

Reliquum est ut Senecae in descriptionibus facultatem et scholasticam naturam (quam secundam feci partem) exemplis ostendam.

Imitationem pluribus de causis non multis locis ex patris libro sumptis inlustrare possumus: primum quia explicationes tales difficillime etiam illius memoria teneri poterant, deinde quod ille sententiis notandis maxime operam dedit, denique quod ex suasoriis, quae ad descriptiones aptiores erant quam controversiae[1]) septem tantum nobis traditae sunt. Tamen nonnulli loci cum rhetoribus similitudinis aliquid habent; quae si metra solveris magis apparebit:

Oed. 41—50. Deseruit amnes umor atque herbas color
aretque Dirce. tenuis Ismenos fluit,
et tinguit inopi nuda vix unda vada
obscuro caelo labitur Phoebi soror
tristisque mundus nubilo pallet die

1) Cf. C. II. Pro. 3.

nullum serenis noctibus sidus micat,
sed gravis et ater incubat terris vapor.
obtexit arces caelitum ac summas domos
inferna facies, denegat fructum Ceres
adulta, et altis flava cum spicis tremat,
arente culmo sterilis emoritur seges

Cf. Suas. 3, 1: „Alias negatis imbribus exurunt [sidera] solum, et miseri concremata agricolae lugent semina . . . . alias serena clauduntur et omnis dies caelum nubilo gravat."

Et hoc ex pulchra tempestatis descriptione in Agamemnone conferte cum rhetorum descriptionibus:

Ag. 465 sqq. Nox prima caelum sparserat stellis, iacent
deserta vento vela. tum murmur grave
maiora minitans, collibus summis cadit
tractuque longo litus ac petrae gemunt;
agitata ventis unda venturis tumet:
cum subito luna conditur, stellae latent,
in astra pontus tollitur, caelum perit.
nec una nox est: densa tenebras obruit
caligo et omni luce subducta fretum
caelumque miscet . . . .
. . . .
premunt tenebrae lumina et dirae Stygis
inferna nox est. excidunt ignes tamen
et nube dirum fulmen elisa micat.

Cf. C. VIII, 1, 4: „Emicabant densis undique nubibus fulmina et terribili fragore horridae tempestates absconderunt diem: imbres undique et omnia procellis saevientia."

et Ex. C. VIII, 6: „Subito fluctibus inhorruit mare ac discordes in pernitiem nostram flavere venti; demissa nox caelo est et tantum fulminibus dies redditur; inter caelum teramque dubii pependimus."

C. VII, 1, 26: „Artemo in descriptione tempestatis laudatus est."

Haec ex rhetorum controversiis attuli, non quod ea ipsa Senecam imitatum esse vellem, sed quo universam eius cum scholasticis similitudinem melius cognosceremus. Huic autem similis descriptio tempestatis in Paccuvii reliquiis apud Ribbeckium (XLV, 411—16) invenitur.[1])

1) De hac parte Liedloftii dissertatio de tempestatis, nec., inf. descriptionibus non est neglegenda (pp. 3—17).

Scholam redolent versus Herculis furentis 216—22.

Hf. 216—22. Gemina cristati caput
angues ferebant ora, quos contra obvius
reptabat infans igneos serpentium
oculos remisso lumine ac placido intuens;
artos serenis vultibus nodos tulit,
et tumida tenera guttura elidens manu
prolusit hydrae.

Sed maxime in ADFECTIBUS describendis ostendit se Seneca, qui semper vitio ὁμοειδείας[1]) laborat, scholasticorum imitatorem: ita est aridus et nulla varietate. Ubique miserorum ossa quassat horridus tremor, per artus totos, sanguine frigido gelu torpente, cadit sudor: cum interim animus pavens membra reliquit et horror cor in pectore trementi pepulit.

Hf. 414. Gelidus per artus vadit exangues tremor
621. Membra laetitia stupent
Tro. 168. Pavet animus, artus horridus quassat tremor
Phaed. 1034. Os quassat tremor
Tro. 457. Mihi gelidus horror ac tremor somnum expulit
487. Sudor per artus frigidus totos cadit
623—4. Reliquit animus membra, quatiuntur, labant,
torpetque vinctus frigido sanguis gelu.
Phoen. 528. Stupeo et exanguis tremo.
530. Membra quassantur metu.
Med. 926—7. Cor pepulit horror, membra torpescunt gelu
pectusque tremuit.
Oed 206—7. Horrore quatior
224. Torpor insedit per artus, frigidus sanguis coit.
323. Horresco intuens
585—6. Gelidus in venis stetit
haesitque sanguis.
659. Et ossa et artus gelidus invasit tremor
Ag. 5. En horret animus et pavor membra excutit
508. Tenet horror artus
883. Horreo atque animo tremo
H. O. 706. Vagus per artus errat excussos tremor.
Cf. Octaviae versus

---

1) Cf. Q. VIII, 3, 52.

Oct. 735—6. Quatit ossa et artus horridus nostros tremor
pulsatque pectus

et laudatum a Quintiliano ἐναργείας exemplum
„Mihi frigidus horror
Membra quatit gelidusque coit formidine sanguis."

Ovidii Her. IX. 135: „Mens fugit admonitu, frigusque perambulat artus."

Apud Lucanum unum talem inveni locum: Diriguere metu, gelidos pavor alligat artus." (I, 246).

Contr. VII, 1, 6: „Subito mihi non sentient iferrum cum animo pariter excidit: torpent manus et nescio qua perturbatione tenebrae stupentibus offunduntur oculis." — ibid. 17: „obortae sunt subito tenebrae, diriguit animus, sublapsum est intercepto spiritu corpus."

Latronis descriptionem (C. I. 4.7) iterum ponere liceat: „Latro descripsit stuporem totius corporis . . . et cum oculorum caliginem, animi defectionem, membrorum omnium torporem descripsisset, adiecit" e. q. s. (Concedendum est 'oculorum caliginem', quae in his tribus exemplis invenimus, Senecam omisisse)

Sine dubio est in his omnibus locis unum et idem describendi genus scholam prae se ferens.

INTER SIMILITUDINES HABEMUS:

Hf. 1088 sqq. (De Hercule) „ Nec adhuc omnes
expulit aestus, sed ut ingenti
vexata noto servat longos
unda tumultus et iam vento
cessante tumet . . ."

H. O. 710 sqq. „ Ut fractus austro pontus etiamnum tumet
quamvis quiescat languidis ventis dies,
ita mens adhuc vexatur excusso metu."

[Non autem mihi placet quod 'excusso metu' dicitur, nam adhuc timet]

Phaedr. 381 sqq. Lacrimae cadunt per ora et assiduo genae
rore irrigantur, qualiter Tauri iugis
tepido madescunt imbre percussae nives

H. O. 1285 sqq. Fletum virtus saepe resorbet.
sic arctoas laxare nives
quamvis tepido sidere Titan
non tamen audet vincitque faces
solis adusti glaciale iubar.

Tro. 392 sqq. „ Ut calidus fumus ab ignibus
vanescit, spatium per breve sordidus,

ut nubes, gravidas quas modo vidimus,
arctoi Boreae dissicit impetus,
sic hic, quo regimur, spiritus effluet."

Phaed. 580 sqq. Ut dura cautes undique intractabilis
resistit undis et lacessentes aquas
longe remittit, verba sic spernit mea.

Non bene in versibus sequentibus duae similitudines diversae iunguntur:

H. O. 380 sqq. Ut laeta silvas forma vernantes habet,
cum nemora nuda primus investit tepor
at, cum solutos expulit Boreas notos
et saeva totas bruma discussit comas,
deforme solis aspicis truncis nemus;
sic nostra longum forma percurrens iter
deperdit aliquid semper et fulget minus."

Aliae sunt Hf. 676. Tro. 794, Oed. 903—5, Ag. 776 sq., 892 sqq., Thy. 497 sqq., 707 sqq.

ἜΜΦΑΣΙΣ altiorem praebet intellectum quam quem verba per se ipsa declarant (VIII, 3, 83). Exempla sunt:

Hf. 331. Aliena dextra sceptra concutiens Lycus — quo illius ingenium violentum indicatur.

912 Hercules: Populea nostras arbor exornet comas
. . . te ramus oleae fronde gentili tegat.

H. O. 1569-70 de eodem: Loca quae sereni
deprimes poli?

ibid 256 de Iove: Quamcumque partem sedis aetheriae premis

Tro 858 sqq. Quod manet fatum dominusque quis te
aut quibus terris, Hecuba, videndam
ducet? in cuius moriere regno?

Hf. 396, Phoen. 593 (abscondat), Med. 380, 630, H. O. 277 814—5 (Herculem vicit Lichas?
Ecce alia clades: Hercules perimit Lichan.)

1283 (per colla). 1523 (patiuntur) 1957 (silvis) —

Cf. Q. VIII. 3, (83—85). De brevitate dicetur cum ad compositionis genera pervenerimus.

ΔΕΙΝΩΣΕΩΣ, quae in exaggeranda indignitate posita est (VIII, 3, 88), unum exemplum satisfaciat: alia autem horum scilicet delicatissimorum locorum sunt Phoen. 159—64, Phaed. 1093—1110, Oed.

624—5, 937—8, 978—9, Thy. 722—9, 740—3, 755—8, Hoc genus attribuit Koerber (Ueber d. Rhetor Seneca u. d. röm. Rhet. seiner Zeit.) rhetoribus praecipue.

Descriptio Oedipodis oculos suos eruentis:

Oed. 965—9. Scrutatur avidis manibus uncis lumina,
radice ab ima funditus vulsos simul
evolvit orbes. haeret in vacuo manus
et fixa penitus unguibus lacerat cavos
alte recessus luminum et inanes sinus.

Bene vim fulmineam Herculis expressit in Hf. vv. 1002 sqq. et 1024—6 temporis praesentis et perfecti coniunctio, quasi describere incipientem facinus perfectum destituisset.

Hf. 1002 sqq. — En blandas manus
ad genua tendens voce miseranda rogat —
scelus nefandum, triste et aspectu horridum!
dextra precantem rapuit et circa furens
bis ter[1]) rotatum misit; ast illi caput
sonuit, cerebro tecta disperso madent.

Hf. 1024—6. In coniugem nunc clava libratur gravis —
perfregit ossa, corpori trunco caput
abest nec usquam est.

Hoc genus vv. 642 sqq. inlustratur, qui Lessingio valde placuerunt.

ibid. 642 sqq.: Si novi Herculem
Lycus Creonti debitas poenas dabit:
lentum est dabit, dat; hoc quoque est lentum, dedit.

Ceterae quoque descriptiones plerumque bonae sunt ita ut quae aguntur, evidenter sub oculos subiciantur, ut in Hf. 776—7,

Phaedr. 76—80. „Fertur plaustro
praeda gementi; tum rostra canes
sanguine multo rubicunda gerunt
repetitque casas rustica longo
turba triumpho.“ (De venatoribus domum redeuntibus.)

Med. 666—7. Ustus accenso Pelias aeno
Arsit augustas vagus inter undas

Thy. 766. Illa flammatus latex
Candente aeno iactat

Neque φαντασίᾳ nihil permittitur:

1) De verbis bis ter cf. Thy. 702.

Ag. 635. sqq. Tacitumque murmur percussit aures,
Ut fremuit male subdolo
Parens Pyrrhus Ulixi.
822 sqq. Aurora movit ad solitas vices
Caput et relabens imposuit seni
Collum marito
Thy 144—5. Exceptus gladio parvulus impio
Dum currit patrium natus ad osculum — e. q. s.
H. O. 70. Annum fugacem tradit Astraeae leo,
At ille, iactans fervidam collo iubam
Austrum madentem siccat et nimbos rapit.

Minime autem veri similem habemus in Phaed. vv. 1061 -2, ubi de tauro prodigioso, quem sic antea discripsit (1046—8):

„Tum pone tergus ultima in monstrum coit
facies et ingens belua immensam trahit
squamosa partem“,

tamquam de cervo gracili dicitur

praepeti cursu evolat
summam citato vix gradu tangens humum.

Illam caudam squamosam immensam laudabili sane et venusta agilitate movisse videtur.

In eo quoque aliquando erratur quod is qui loquitur magis facta aliena describere videtur quam rem ad se ipsum pertinentem narrare. Sic:

Ag. 421—2. Ut Pergamum omne D o r i c a cecidit face
Divisa praeda est, maria properantes p e t u n t — e. q. s.

Nonne Eurybates dixisset „nostra face“ . . . et „petimus“? Cf. Tro. 782 et Med. 127 (barbarica) et epitheta geographica, quae infra tractabo, et quod in figuris de „Nominibus Propriis“ dicitur.

METAPHORA, ut apud omnes poetas, saepe adhibetur:

Phaed. 531—2. Non vasto aggere
crebraque turre c i n x e r a n t urbes latus.
Hf. 405 (stricti ensis i r a)
Phoen. 130 (Colonus agros uberis t o n d e s soli)
341 (Frugemque flamma metite natalis soli)
231 (Inhaeret et r e c r u d e s c i t nefas | subinde)
Med. 4 (frenare ratem). Cf. Q. VIII, 6, 9—10 (‚gubernator magna contorsit e q u u m vi', ‚classique immittit habenas')
310. (stellis quibus pingitur aether)

Oed. 184—5 (Tum vapor ipsam
corporis arcem flammeus urit)
Ag. 570. (pavidisque pinnis
anxiae noctis vigil incubabat)
Hf. 763 (stupent ubi undae)
Thy. 990—1 (Ipse quin aether gravis
inter diem noctemque desertus stupet)
H. O. 45 sqq. (Intraque nostras substitit metas dies.
natura cessit, terra defecit gradum
lassata prior est.)

110. (ferculum); 1625—6 (Stat vasta late quercus et Phoebum vetat ultraque totos porrigit ramos manus) Cf. vocem ‚comas' frequenter in significatione frondium positam H. O. 383, Oed. 154 574, Statii Theb. 684; 1625—6 (gemuit illa multo vulnere impresso minax.

H. O. 975—6 Teque languenti manu | non audit arcus?
Hf. 131. Signum celsi glaciale poli
lucem verso temone vocat
841. Quinta cum sacrum revocavit aestas
H. O. 1578 Vel comam silvis revocabit aestas
Tro. 106 Iam nuda vocant pectora dextras
Ag. 557. Nos alia maior naufragos pestis vocat
Thy. 794—5 Nondum serae nuntius horae | nocturna vocat
lumina Vesper
H. O. 138 At si quas melior sors famulas vocat,
178 Alio nostras fortuna vocat | lacrimas
1620—1 Flectit hic pinum ferox
astris minantem et nube de media vocat
Tro. 71 Secuitque fretum pinus matri sacra Cybebae
918 Spartana puppis vestra si secuit freta
1166—7 Optata velis maria diffusis secet
secura classis
Ag. 430 Aperitque cursus mille quos puppes secent
Thy. 590 Alta quae navis timuit secare
Cf. Octaviae vv. 324—5 (tabulis
haerent nudi fluctusque secant)
Oed. 464 Lunata scindit cauda mare delphin
H. O. 695—6 Nec magna meas aura phaselos | iubeat medium
scindere pontum

Oed. 427—8 (niveumque quisquis
frangit Araxen)
H. O. 506 (frangebat ipsos fluminis tumidi minas)
Ag. 540—1 (fluctusque rumpit pectore)
440 (Sulcata vibrant aequora)
H. O. 683 (Medium caeli dum sulcat iter

Illa omnia vim *μεταφορᾶς* paene amittunt. Ideo posui quod tam multis gentibus communia sunt.

Tro. 965—6 (inrigat fletus genas
imberque victo subitus e vultu cadit),
Phaed. 381—2. (assiduo genae
rore irrigantur),
Oed. 952—3. (Subitus en vultus gravat
profusus imber ac rigat fletu genas),
978. (rigat ora foedus imber (De sanguine.),
Thy. 950. (imber vultu nolente cadit)
Cf. Pharsal. VI. 224. (imbre cruento) et Soph. Antig. 528 sqq.:
Νεφέλη δ' ὀφρύων ὕπερ αἱματόεν
ῥέθος αἰσχύνει
τέγγουσ' εὐῶπα παρείαν.

Κακοζήλον vel malae adfectationis (Q. VIII, 3, 56) exemplum in metaphora praebent[1]) H. O. 1272 sqq. In Hf. 683, Med. 940, Ag. 140 cum similitudine metaphoram iunxit.

Hf. 683 sqq. Qualis incertis vagus
Maeander undis ludit et cedit sibi
instatque dubius litus an fontem petat."
Med. 940. Ut saeva rapidi bella cum venti gerunt
utrimque fluctus maria discordes agunt
dubiumque fervit pelagus e. q. s.
Ut cum hinc profundum ventus, hinc aestus rapit,
Ag. 140. incerta dubitat unda cui cedat malo."
Cf. Pharsal. V, 602: „Et dubium pendet vento cui concidat aequor."
Thy. 697. Nutavit aula, dubia quo pondus daret
724. . . . Ferro cadaver, cumque dubitasset diu
hac parte an illa caderet, in patruum cadit.

1) Cf. Leonem, I p. 54.

Simile est

Terga simul pariter missis et pectora telis
Transigitur. medio concurrit pectore ferrum

Pharsal III, 589. Et stetit incertus quo flueret vulnere sanguis

Sed saepius in epithetis posuit:

Hf. 104 (vitiatae Stygis), 533 (Scythiae multivagas domos), Tro. 714 (Vere nidifico)

Oed. 488 (Naxos Aegaeo redimita ponto)

Ag. 358 (Multifora tibia)

Phoen. 11 (Caecum pedum), Med. 741 (Chaos caecum), Oed. 92 (Caecis modis), Ag. 542 (caeco mari), 895 (caecos sinus), Thy. 668 (nocte caeca).

Oed. 493. (garruli rivi) 454 (garrula per ramos avis obstrepit),

Ag. 674—5 (non quae testis Bistonis ales
furta mariti garrula narrat)

H. O. 1632—3 (Volucres pererrant nemore succiso diem
quaeruntque lassis garrulae pinnis domos.)

Ag. 578 (Et damna noctis tristis ostendit dies)

Cf. Oed. 5 (Stragemque quam nox fecit ostendet dies.)

Alia epithetorum exempla sunt:

Hf. 373 (fratrumque gemina caede)

Phaed. 275 (geminus Cupido | impotens flammis simul et sagittis)

Ex quo versu intellegimus

Oed. 500—1 (geminus Cupido | concutit taedas).

Ag. 14 (Trigemina colla [Cerberi]), 726 sqq., H. O. 1205 (gemina serpens [de chimaera), H. O. 158 (Sarmata frigidus).

Ag. 726. (lux alma), 727 (nox atra).

Bene igitur contra Theseus dicit (Phaed. 1217): „Donator atrae lucis, Alcide, tuum | Diti remitte munus.“

Hf. 689—96. Horrent opaca fronde nigrantes comae
taxum imminentem qua tenet segnis Sopor
Famesque maesta tabido rictu iacet
Pudorque serus conscios vultus tegit.
Metus Pavorque furvus et frendens Dolor
aterque Luctus sequitur et Morbus tremens
et cincta ferro Bella; in extremo abdita
iners Senectus adiuvat baculo gradum.

Oed. 590—4. Tum torva Erinys sonuit et caecus Furor

Horrorque et una quidquid aeternae creant
celantque tenebrae: Luctus avellens comam
aegreque lassum sustinens Morbus caput,
gravis senectus sibimet et pendens Metus.
1059—60 Violenta fata et horridus Morbi tremor
Macies et atra Pestis et rabidus Dolor e. q. s.[1])

Quod tyranni regesque saepe „saevi“ nominantur non mirabimur, nam hoc epitheton honorificum iis ex consuetudine longa quasi in ius venerat. Cf. (saevos reges) Hf. 1123, (rex saevus) Hf. 1255, (saevi reges) H. O. 874, (saevis regibus, rex saevus) H. O. 1783—4, (saevi tyranni) H. O. 6, (saevos tyrannos) H. O. 1869.

Sic Iuvenalis VII, 150—1:

Declamare doces? O ferrea pectora Vecti
Cum perimit saevos classis numerosa tyrannos.

EPITHETA GEOGRAPHICA. Neque hoc praetermittendum est quam saepe geographica epitheta usurpentur et quidem non solum ubi ornatus causa licet, qualia sunt Phaedr. 59—61, 348, Oed. 919, Thy. 478, 732, H. O. 241, 1642,

Ag. 736. Quem petit dextra virum
Lacaena cultu ferrum Amazonium[2]) gerens?

(Id est securim, nam erat „securigera manu peltata Amazon“ (Ag. 217-8).

Aliud est exemplum quod Lucanus Massiliae obsidionem describens praebet,

„Procumbunt orni, nodosa impellitur ilex,
silvaque Dodones et fluctibus aptior alnus.“

Sed etiam ubi alia pulchriora essent, haec invenimus:

Hf. 228—9. Solitumque densis hispidum Erymanthi iugis
Arcadia quatere nemora, Maenalium suem.
Hf. 378. Euripus stabit unda Euboica piger
H. O. 1474—5. Et Parnassio
Cirrhaea quatiens templa mugitu specus.
Tro. 444—5. bella in Argivos ferens
Graias petebat facibus Idaeis rates.

1) Cf. apud Petronium Eumolpi carminis longi versus 252 sqq. ubi talia epitheta multa usurpantur.

2) Cf. Q. VIII, 2, 2: „Ut ille, qui in actione hibericas herbas, se solo nequiquam intellegente, dicebat, nisi inridens hanc vanitatem Cassius Severus sportum dicere eum velle indicasset.“

Ag. 120. Phasiaca fugiens regna Thessalica trabe
613. Cum Dardana tecta Dorici raperetis ignes.

Neque verus Hercules, ideo quod in Oeta arsurus erat, comiti facem rogo subdere cunctanti dixisset

H. O. 1718. Corripe Oetaeam facem.

Ferri potest in Hf. versu 1129 „Argiva palaestra“, quamquam scaena Thebis est, sed non, ut Leo monuit, quod, Orpheo „Thressae sub Rhodopes iugis“ (1032) canente, ‘Marmaricus leo iuxta impavidum pecus sedit.’ (H. O 1057) — Cf. Oed. 163 (Sidoniis).

Exemplum huius modi in Claudiani Rapt. Proserp. invenit Ernesti, ubi Ceres legum et frugum inventrix memoratur:

„Unde datae populis leges et glande relicta
Cesserit inventis Dodonia quercus aristis.“

Hoc et cetero ornandi causa nominum geographicorum usu Seneca, (sicut plerique eius aetatis), a tragoediarum scriptoribus graecis differt. Sic, ut indicium proferam, designationum nationum aut locorum, quae eo tempore, de quo legentes cogitamus, nec cum re nec cum persona tragoediae coniuncta sunt, tot fere[1] in fabularum versibus, quos infra pono, habemus exempla: in

Oedipode Senecae (1—500)	33	**H. O. Senecae** (1—500)	40
Oed. tyr. Sophoclis (1-500)	3	**Trach. Soph.** „	5
(154, 197, 208)		(116, 200, 212, 436, 497.)	
Medea Senecae (1—500)	26	**Med. Sen.** (500—1000)	24
„ **Euripidis** „	0	„ **Eurip.** „	

(524, 628, 637, 827 [Κύπρις(ν)], 824 [Πιερίδας Μούσας].

Agamemnone Senecae (1—500) 17.
„ Aeschyli „ 0.

Hoc genus quamquam doctorum est poetarum omnium, credo tamen declamationes multum eo contulisse. Libenter enim sine dubio rhetores trahebant ex Scylla furenti et Charybdi, ex Scythica crudelitate, ex saevis Aetnae flammis aliis eius modi rebus similitudines: quales ut exempla pauca ponam his tragoediarum locis videmus: Med. 408 sqq. H. O. 286, Hf. 106, Phaed. 101—3, H. O. 235, Hf. 376, H. O. 515, 1251, 1361 sqq., 1365, 1379, 143, Tro. 1104, Phaed. 906-7.

Numquam meus cessabit in poenas furor
crescetque semper — quae ferarum immanitas.

1) De nonnullis locis dubitari potest. Apud Graecos etiam talia quale est *Κύπρις* non omisi.

Med. 408 sqq. quae Scylla, quae Charybdis Ausonium mare
Siculumque sorbens quaeve anhelantem premens
Titana tantis Aetna fervebit minis?
O quam cruentus feminas stimulat furor
cum patuit una paelici et nuptae domus!
H. O. 235. Scylla et Charybdis Sicula contorquens freta
minus timendae, nulla non melior fera est.

Cf. Ciceronem in Antonium (Phil. II, 67): „Quae Charybdis tam vorax?" et „quam denique tam immanem Charybdim poetae fingendo exprimere potuerunt, quae . . . ?" Har. resp. 59.

Alitur et crescit malum
Phaed. 102. et ardet intus qualis Aetnaeo vapor
exundat antro.
Hf. 106. Acrior mentem excoquat
quam qui caminis ignis Aetnaeis furit —
Est aliquid hydra peius „iratae dolor
nuptae. quis ignis tantus in caelum furit.
H. O. 286. ardentis Aetnae?

H. O. 143 sqq. Quáe cautes Scythiae, quis genuit lapis?
Num Titana ferum te Rhodope tulit
te praeruptus Athos, te fera Caspias
quae virgata tibi praebuit ubera?
1251 sqq. Quis te sub axe frigido pontus Scythes,
quae pigra Tethys genuit aut Maurum premens
Hibera Calpe litus?
Phaed. 906-7. Hunc Graia tellus aluit an Taurus Scythes
Colchusque Phasis.
H. O. 1280. ([Hercules] Getico durior Haemo), et
1538-9. Thraciae si quis Rhodopes alumnus
Durior terris Helices nivosae.)

Alia inter „Interrogationum" exempla posui. In Ovidio quoque similia saepe inveniuntur. Sic (Sapph. 12):

„Me calor Aetnaeo non minor igne tenet."

Met. VIII, 119-25. Hoc quoque si prohibes et nos, ingrate, relinquis,
non genetrix Europa tibi est, sed inhospita Syrtis,
Armeniae tigres, austroque agitata Charybdis.

Cf. „Non velut inhospitales Syrtes aut voracem Charybdim praeterveheris?" (Q. Declam. XII, 22), et apud oratores: „Quis Tagus quisve

Pactolus tanto fluxit auro quantum liberalitate tua consecuti sumus?" (Incerti Grat. act. Constantino Aug. D. 14) et Quint, VIII, 6, 49 (quem Euripum).

In „Amplificandi vel minuendi species", quas Q. descriptionibus subiunxit (VIII, 4, 1—29), cadunt:

Phaedr. 93-4. (Fortis per altas invii retro lacus
vadit tenebras miles audacis proci), et

Ag. 262. ‚Permisit aliquid victor in captam sibi' et cetera
[In ipso rei nomine]

Tro. 856. (Neritos parva brevior Zacyntho) [Per comparationem]

H. O. 1763—4. (Quam leve est pondus mihi
cui totus aether incubuit pondus leve)

et **Hf. 775-6.** [Per Ratiocinationem].

2. SENTENTIAE.

Sententiae, quae Senecae temporibus pro maximo orationis ornatu habebantur, significant omnes luminosas et eminentes enuntiationes. Quarum erant praecipua genera γνῶμαι ἐνθυμήματα νοήματα ex inopinato dicta, sed antiquissimae erant quae proprie sententiae vocabantur, γνῶμαι. Quas quamquam omnes gentes semper amarunt, insolitae tamen gratiae documenta proferam, in qua et γνῶμαι et sententiae reliquae erant apud rhetores Romanos.

Quintilianus scribit (VIII, 4, 29) plerosque sententias praecipuum ac paene solum putare orationis ornatum; suis temporibus eas modo carere (VIII, 5, 2) et declamatores velle ut omnis sensus in fine sermonis feriat aurem et turpe et prope nefas ducere respirare ullo loco qui acclamationem non petierit (VIII, 5, 13—14); ipsum haec lumina orationis velut oculos quosdam esse eloquentiae credere, tamen, si necesse sit, veterem illum horrorem dicendi se malle quam sui temporis novam licentiam (VIII, 5, 34); in Senecae nostri scriptis multas esse clarasque sententias (XI, 129).

Sed et Seneca rhetor de sententiis multa tradidit, quibus adferendis illius verbis utar, cum in testimonio testem ipsum audire libeat.

C. VIII, Pr. 9: „Video quid velitis: sententias potius audire quam iocos fiat.“

C. I, Pr. 22: „Cum vos [filios dicit] sententias audire velitis et quidquid illis adstruxero molestum futurum sit.“ Ergo credere licet Senecam nostrum sententias rhetorum patris quoque iudicio amasse.

Ibid. 23: „Solebat autem [Latro] et hoc genere exercitationis uti, ut aliquo die nihil praeter epiphonemata scriberet, aliquo die nihil praeter enthymemata, aliquo die nihil praeter has translaticias quas proprie sententias dicimus . . . . tanquam quae de fortuna, de crudelitate, de saeculo, de divitiis dicuntur: hoc genus sententiarum s u p e l l e c t i l e m vocabat.“

C. II, 2, 8: „Adeo autem studiose Latronem audiit [Ovidius] ut multas illius sententias in versus suos transtulerit“. Hoc, si eo ege-

remus, documento esset, poetas institutionem suam rhetoricam in poematis ostendisse.

C. II, Pr. 5: „Scio futurum, ut auditis eius sententiis cupiatis multas audire."

C. VII, 5, 12: „Adeo scholasticus erat ut eodem die, quo accusatus est a Vinicio, diceret:" delectavit me Vinici actio, et sententias eius referebat."

C. VII, 6, 22: „Ex tabellis exemptionis multi sententiam trahere temptaverunt."

C. IX, [XXIV], 13: „Do, inquit [Fuscus], operam ut cum optimis sententiis certem, nec illas corrumpere conor sed vincere."

C. X: Pr. 16: „Horum nomina non me a nimio favore sed a certo posuisse iudicio scietis cum [quid dicet?] sententias eorum retulero, aut pares notissimorum auctorum sententiis aut praeferendas."

C. X, 1, 14: „Idem Latronis illas sententias aiebat tumidas magis esse quam fortes quae summa hominum admiratione circumferebantur."

C. X, 4, 25: „P. Vinicius summus amator Ovidi hunc aiebat sensum disertissime apud Nasonem Ovidium esse positum, quem ad fingendas similes sententias aiebat memoria tuendum." — Jam attuli Quintiliani praeceptum ut etiam in grammaticorum scholis sententiae a pueris scriberentur, et idem fere apud Senecam philosophum legimus: „Ideo pueris et sententias ediscendas damus et has, quas Graeci χρείας vocant." (Epist. Mor. IV. 4. 6).

Ex hac ceteraque illius aetatis silva sententiarum, quarum quamquam multas habemus multo maior pars libris ne commissa quidem est, qui eas ipsas eruere poterimus, quas imitatus est Seneca? Nam, quamquam haud dubie multae eius sententiarum priores nedum priorem quodam modo aemulatae sunt, tamen inter sententias Senecae et rhetorum quae nobis supersunt, ut similitudo saepe apparet, non ita imitatio coargui potest. Tamen suo loco etiam similitudinem cognoscere libebit.

In sententiis, sicut ubique, crebritate nimia maxime genus rhetoricum scribendi elucebit. Sed iam ad exempla.

Exempla. Quomodo sententias extra modum Seneca denset, exemplo sit

Frequentia. Qui genus iactat suum

Hf. 340—5. aliena laudat. rapta sed trepida manu
sceptra obtinentur; omnis in ferro est salus.

quod civibus tenere te invitis scias,
strictus tuetur ensis. alieno in loco
haut stabile regnum est . . . . .

Fieri non potest quin sermo talis e singulis quasi tessellis constructus et ubique subsistens valde displiceat. Quod vitium reprehendit Quintilianus. Similia huic exempla sunt inter alia Hf. vv. 422—37, ubi Megara et Lycus paene semper sententiis inter se respondent, Troad. 1009—23, Phaed. 874 sqq., Oed. 514—29, 683—706 Ag. 87—107. Omnia adferri non possunt.

Oed. 699-706. **Cr.** Quid si innocens sum? **Oed.** Dubia pro certis solent
timere reges. **Cr.** Qui pavet vanos metus,
veros meretur. **Oed.** Quisquis in culpa fuit,
dimissus odit: omne quod dubium est cadat.[1])
Cr. Sic odia fiunt. **Oed.** Odia qui nimium timet
regnare nescit: regna custodit metus.
Cr. Qui sceptra duro saevus imperio regit,
timet timentes: metus in auctorem redit.

Cum illo ‚Odia qui nimium timet regnare nescit' conferte hos duo locos.

Hf. 353. Ars prima regni est posse [et?] invidiam pati.

Phoen. 654—9. Regnare non vult, esse qui invisus timet:
simul ista mundi conditor posuit deus
odium atque regnum: regis hoc magni reor
odia ipsa premere. Multa dominantem vetat
amor suorum, plus in iratos licet.
qui vult amari languida regnat manu.

Ag. 144—154. Ubi animus errat, optimum est casum sequi.
Nutr. Caeca est temeritas quae petit casum ducem.
Clyt. Cui ultima est fortuna, quid dubiam timet?
Nutr. Tuta est latetque culpa, si pateris, tua.
Clyt. Perlucet omne regiae vitium domus.
Nutr. Piget prioris et novum crimen struis? [2])

1) Cf. Oct. 471: „Quidquid excelsum est cadat".

2) Cf. Q. VIII, 5, 6: „Sed maiorem vim accipiunt et mutatione figurae, ut
Usque adeone mori miserum est?
acrius enim hoc quam per se 'Mors misera non est', et translatione a communi ad proprium. Nam, cum sit rectum 'nocere facile est, prodesse difficile' vehementius apud Ovidium Medea dicit: Servare potui: perdere an possim rogas?"

Clyt. Res est profecto stulta nequitiae modus.
Nutr. Quod metuit auget qui scelus scelere obruit.
Clyt. Et ferrum et ignis saepe medicinae loco est.
Nutr. Extrema primo nemo temptavit loco.
Clyt. Rapienda rebus in malis praeceps via est.

Hic sententias pro telis utraque pars iaculatur aut scuti loco ictibus opponit.

Ex hoc nimio usu, et inde quoque quod de rebus quibusdam sicut vitiis saeculi, divitiis, fortuna, sorte humili et excelsa, morte, praecipue moris erat sententias dicere (reminiscimur Latronis „supellectilis“), fit ut non paucae sententiae similes inveniri possint.[1]) Ex quibus quam maximam partem adferam. In Senecae rhetoris libro paucae sunt γνῶμαι nec inter eas multae sunt de iisdem rebus dictae de quibus in tragoediis nostris sententias legimus.

I. De divitiis paupertateque et fortunae vicibus:

Hf. 159—200. Phaed. 1123—39, Ag. 87—103, Thy. 446—70, H. O. 640—700.

H. O. 652. Pectora pauper secura gerit
Phaedr. 1126-7. Servat placidos obscura quies
praebetque senes casa securos.
Hf. 198. Venit ad pigros cana senectus
H. O. 643. Rarum est felix idemque senex
Ag. 928. O nulla longi temporis felicitas!
Cf. „Summisque negatum
stare diu.“ Pharsal. I, 70—1.

„Nulla fere magna bona et diuturna contingunt. non durat nec ad ultimum exit nisi lenta felicitas“. Sen. Ad. M. de C. XII, 4.

Hf. 326—7. Nemo se tuto diu
Periculis offerre tam crebris potest.

„Nam qui multa agit, saepe fortunae potestatem sui facit quam tutissimum est raro experiri.“ De tranq. an, XIII, 2.

Hf. 325—6. Iniqua raro maximis virtutibus
Fortuna parcit.

1) Qui de Amore locos duos admodum similes legere vult, conferat Phaedr. vv. 195—207, cum Octaviae vv. 557—65. In utraque exprimitur tragoedia illud Ovidianum „Divitiis alitur luxuriosus Amor“. (Rem. Am. 746).

Phaed. 1124—5. Minor in parvis fortuna furit
leviusque ferit leviora deus

Ag. 96. Feriunt celsos fulmina colles.

Cf. Oct. 897—8. Quatiunt altas saepe procellae
aut evertit Fortuna domos.

Ag. 92—3. Nubibus ipsis inserta caput
turris pluvio vapulat Austro.

Phaed. 1128 sqq. Admota aetheriis culmina sedibus
Euros excipiunt, excipiunt notos.

Cf. Publilii Syri sententiam: „Excelsis multo facilius casus nocet" (In editione Ribbeckiana v. 162.)

Hf. 201. Alte virtus animosa cadit.

Ag. 101—2. Quidquid in altum Fortuna tulit
ruitura levat.

Cf. Oct. 377—8. Sen. Quid me potius Fortuna, fallaci mihi
blandita vultu, sorte contentum mea
alte extulisti, gravius ut ruerem edita
receptus arce?

et de Brev. Vit. XVII, 4: „ Omne enim quod fortuito obvenit instabile est. quo altius surrexerit, opportunius est in occasum", et Ad Pol. de Cons. XVI: „ Quem fortuna in hoc erexerat, ne minus alte eum deiceret quam patrem deiecerat"

2. De morte.

H. O. 929—31. Quicumque misero forte dissuadet mori
crudelis ille est: interim poena est mori
sed saepe donum; pluribus veniae fuit.

Phoen. 98—9. Qui cogit mori
nolentem in aequo est quique properantem impedit.

Cf. Ex. C. VIII, 4: „ Non magis crudeles sunt qui volentes vivere occidunt, quam qui volentes mori non sinunt"

et Horatii in Epist. ad Pisones versum:

Ep. ad P. 466: „ Invitum qui servat idem facit occidenti."
Cum illo „Interim poena est mori
sed saepe donum" et

Tro. 330. Mortem misericors saepe pro vita dabit —
cf. „ Interdum misericordiae genus est occidere" (De ira I, 16)

Hf. 1262. Morte sanandum est scelus.

1278. Si vivo, feci scelera; si morior, tuli

Oed. 934. Mors innocentem sola Fortunae eripit.

H. O. 890. Mors innocentes sola deceptos facit.
Cf. supra „pluribus veniae fuit."

Tro. 869. Optanda mors est sine metu mortis mori

Cf. Ex. C. III, 5: „ Crudelius est quam mori semper mortem timere" et apud Q. (VIII, 5, 5) „ Mors misera non est, aditus ad mortem est miser." (Apud Ribbeckium Ex i. i. fab. 203)

Phoen. 151—3. Ubique mors est optime hoc cavit deus:
Eripere vitam nemo non homini potest
at nemo mortem; mille ad hanc aditus patent

Phaed. 878. Mori volenti desse mors numquam potest

Cf. Epist. Mor. 117, 22—3, et de provid. VI, 6: „Ante omnia cavi ne quis vos teneret invitos: patet exitus."

Tro. 954. Prima mors miseros fugit

H. O. 122. Felices sequeris, mors, miseros fugis.

Stoici est quoque quod mors non modo contemnitur sed ut vera libertas et portus tranquillus laudatur.

Phaedr. 139. Fortem facit vicina libertas senem.

Tro. 791. I, vade liber, liberos Troas vide.

Ag. 796. Ne metue dominam famula. Cass. Libertas adest.
[Ambiguitas]

590—2. Cum pateat malis
effugium, et miseros libera mors vocet
portus aeterna placidus quiete.

Ag. 790. Optatus ille portus aerumnis adest. [Ambiguitas]

H. O. 1021. Mors sola portus dabitur aerumnis meis.

Cf. Sen. Cons. ad Polyb. 9, 7 et Ep. Mor. VIII, 1, 2, et „ Meditare mortem: qui hoc dicit meditari libertatem iubet." (Ep. Mor. III, 5, 9).

Phaedr. 197. Nemo contempsit mori qui concupivit.
Cf. Sen. Ep. 24, 25; 98, 16; 117, 22.[1])

Med. 427. Trahere cum pereas libet[2])

H. O. 350. Felix iacet quicunque quos odit premit

Ag. 202. Mors misera non est commori cum quo velis

---

1) L. I, 78.

2) L. I, p. 153.

Cf. C. IX, 6, 2: „Et naturali quodam deploratae mentis adfectu morientibus gratissimum est commori"

et, Nec sicut mos est miseris, trahere omnia secum
Mersa iuvat, gentisque suae miscere ruinae." Phars. VII, 654—5.

Tro. 162—2. Felix quisquis
bello moriens omnia secum consumpta tulit

1009—1041 Dulce maerenti populus dolentum e. q. s.

1016—17 Ferre quam sortem patiuntur omnes
Nemo recusat.

Thy. 883—4 Vitae est avidus quisquis non vult
Mundo secum pereunte mori

Cf. „Quis enim queri potest in ea condicione se esse in qua nemo non est?" Ep. Mor. IV, 1, 9.

„In gratiam cum fato revertere a quo omnia resolvuntur." Ep. Mor. XIV, 3, 15.

Aliae sententiae inter se similes.

H. O. 886. Haut est nocens quicumque non sponte est nocens
Phaed. 735. Meus impudicam facere non casus solet.

Thy. 487. Serum est cavendi tempus in mediis malis
Cf. Publilii Syri versum: Sero in periclis est consilium quaerere (625)

Oed. 517. Ubi turpis est medicina sanari piget
Cf. „Mori potius debuit frater quam sanari turpiter" (Ex. C. VI, 7)

Tro. 258. Violenta nemo imperia continuit diu.
Phoen. 660. Invisa numquam imperia retinentur diu.
Med. 196. Iniqua numquam regna perpetuo manent.

Cf. „Equidem ego cuncta imperia crudelia magis acerba quam diuturna arbitror", Sallustii ad Caes. de rep. I, 3.

H. O. 316. Prona est timoris semper in peius fides
1979. Misera mens incredula est.

Thy. 938—9. Proprium hoc miseros sequitur vitium
numquam rebus credere laetis.

Contra dicitur

Hf. 313—4. Quod nimis miseri volunt,
hoc facile credunt.

Cf. Ovidium (Her. II. 9—10): „Tarde quae credita laedunt credimus."

Phaedr. 721. Scelere velandum est scelus.

Ag. 115. Per scelera semper sceleribus tutum est iter

„Perseverandum est nec ad meliora patet regressus. Scelera enim sceleribus tuenda sunt.“ De Clem. I, 13, 1.

Ag. 243. Quem paenitet peccasse, paene est innocens.
Cf. „Est quaedem proxima innocentiae verecundia praebere se legibus.“ (C. VII, 8, 6), et „Qui confitetur innocenti proximust.“ (In Appendice Sententiarum apud Ribbeckium versus 52)

Ag. 694. Miseris colendos maxime superos putem
Cf. Ex. C. VIII, 1: „Magis deos miseri quam beati colunt.“

Hf. 735—6. Auctorem scelus | repetit.
Thy. 311. Saepe in magistrum scelera redierunt sua.
Oed. 706. Timet timentes: metus in auctorem redit.

„Quid quod semper in auctores redundat timor nec quisquam metuitur ipse securus?“ De Tr. II, 11, 3. Ibid: „Laberianus ille versus:

Necesse est multos timeat quem multi timent“. Cf. „. . . arbitror, neque quemquam multis timendum esse, quin ad eum ex multis formido reccidat.“ Sal. ad Caes. de rep. I, 3. „Adice nunc quod qui timetur timet: nemo potuit terribilis esse secure“ Ep. Mor. XVIII. 2, 5.

H. O. 421—2. et vitium impotens
Virtus vocatur.
Hf. 251—2. Prosperum ac felix scelus
virtus vocatur
Phaed. 598. Honesta quaedam scelera successus facit.

Hf. 1267. Veniam dabit sibi ipse, qui nulli dedit?
Ag. 267. Det ille veniam facile cui venia est opus.

Phaedr. 164. Scelus aliqua tutum, nemo securum tulit.

Epicuri sententia apud Sen.: „ 'Potest nocenti contingere ut lateat, latendi fides non potest.' Ita est, [inquit Seneca ipse] tuta scelera esse possunt, secura non possunt.“ Ep. Mor. XVI, 2, 11.
„Tutum aliqua res praestat in mala conscientia, nulla securum Ep. Mor. XVIII, 2, 9.
„Nocens habuit aliquando latendi fortunam, numquam fiduciam.“ Ibidem.
„Multos fortuna liberat poena, metu neminem.“ Ep. Mor. XVI, 2, 13.
„Quemadmodum scelera etiam si non sint deprehensa cum fierent, sollicitudo non cum ipsis abiit, ita e. q. s. Ep. Mor. III, 6, 2.

Phaedr. 249. Pars sanitatis velle sanari fuit.

„Prima pars sanitatis est ut libenter accipiat." Quintil. decl. XIV, 8 et in eiusdem Excerp: „ Prima sanitatis est libenter accipere".

„Itaque pars magna bonitatis est velle fieri bonum". Ep. Mor. IV, 5, 3.

Thy. 307. Leve est miserias ferre, perferre est grave

Cf. „Tulit illum per ignes et (quid non pietas potest?) pertulit." De Ben. III, 37, 1.

Inter Sententias optimas sunt:

Hf. 462. Semperque magno constitit nasci deum:

Hf. 865—6. Nemo ad id sero venit unde numquam,
cum semel venit, potuit reverti.

Tro. 1143—4. Fere cuncti magis
peritura laudant.

Med. 199—200. Qui statuit aliquid parte inaudita altera,
aequum licet statuerit, haud aequus fuit.

Phaedr. 139. Fortem facit vicina libertas senem.

134—5. Qui blandiendo dulce nutrivit malum — [amorem dicit] —
sero recusat ferre quod subiit iugum.

164. Scelus aliqua tutum, nemo securum tulit

249. Pars sanitatis velle sanari fuit.

440—3. Quem fata cogunt, ille cum venia est miser;
at si quis ultro se malis offert volens
seque ipse torquet, perdere est dignus bona
quîs nescit uti.

593—4. Qui timide rogat
docet negare.

607. Curae leves locuntur, ingentes stupent.

876. Alium silere quod voles, primus sile et

Thy. 319. Tacere multis discitur vitae malis

416. Cum quod datur spectabis, et dantem aspice.

Ag. 242. Nam sera nunquam est ad bonos mores via

Cf. „ It is never too late to mend."

Oed. 684. Ab inquieto saepe simulatur quies.

Thy. 211—2. Atreus, tyrannus superbus, qui etiam scelesta indole sua nefariaque gloriatur, dummodo potens sit:

Laus vera et humili saepe contingit viro,
non nisi potenti falsa.

307. Leve est miserias ferre, perferre est grave.

De sorte tristi viri magni:

401—3. Illi mors gravis incubat
qui notus nimis omnibus
ignotus moritur sibi.

ALIA GENERA SENTENTIARUM.

Nonnunquam habemus sententiam cum figura quae est *ἀντίθετον* coniunctam. Cf. Q. VIII, 5, 18–19.

Hf. 565. Et mortis dominus pertimuit mori.

Praeclarum est illud Herculis, trucidatis in furore coniuge liberisque, se occidere volentis:

Hf. 1278. Si vivo, feci scelera; si morior, tuli

Tro. 989—90. Domini pudet
non servitutis.

55—6. Caret sepulchro Priamus et flamma indiget
ardente Troia.

481—2. Superestque vasta ex urbe ne tantum quidem | quo lateat infans. [Andromacha Ascanium occultare volens.]

De Amore:

Phaedr. 190—1. Et qui furentes semper Aetnaeis iugis
versat caminos igne tam parvo calet et

335—7. Spicula cuius sentit in imis
pervius undis rex Nereidum
flammamque nequit relevare mari.

1122. Quod interemi, non quod amisi, fleo.

Thy. 86—7. Me pati poenas decet
Non esse poenam.

Aliud genus aliquid habet inexspectati (Cf. Q. VIII, 5, 15) aut *παραδοξίας* (Cf. supra Hf. 565, Trv. 55—6, Phaed. 190—1, 335—7.)

Phoen. 89—90. Unica Oedipodae est salus
non esse salvum.

269. Scelerisque pretium maius accepi scelus.

380—1. Nil possum pie
pietate salva facere.

Hf. 726—7. Cuius aspectus timet
quidquid timetur.

Tro. 633. Dediscit animus saepe quod didicit diu.

741. Nullas habet spes Troia si tales habet.

1099—1100. Non flet e turba omnium
qui fletur.

1128—9. Magna pars vulgi levis
odit scelus — spectatque

Cf. C. II, 3, 5: „Ad iudices vocat iudicem suum". Ex. C. IV, 1: „Cogit flere qui non sinit".

(C. II, 2, 11): „Fer socer felicitatem tuam" et

(Q. VIII, 5, 15): „Insigniter Africanus apud Neronem de morte matris, Rogant te, Caesar, Galliae tuae ut felicitatem tuam fortiter feras".

C. X, 4, 1: „Mendicares nisi tot mendicos fecisses".

C. IX, (XXV), 11: „Ut iste cum amica cenaret iucundius — homo occisus est". C. VII, 1, 8: „Perieras, pater, nisi in parricidam incidisses".

Tetracolon addo:

Ag. 35—6. **Thyestes**: Avo parentem, pro nefas patri virum,
natis nepotes miscui — n o c t i d i e m.

Tanquam nostrum locum respexisset, scripsit Sen. rhet. Contr. IX, (XXV), 27: „Et illud tetracolon: serviebat forum cubiculi, praetor meretrici, carcer convivio, d i e s n o c t i. Novissima pars sine sensu dicta est [Hic fallitur], ut impleretur numerus; quem enim sensum habet: ‚serviebat dies nocti'? Hanc ideo sententiam rettuli quia et in tricolis et in omnibus huius generis sententiis curamus ut numerus constet, non curamus an sensus". In nostrum tetracolon illa caderet vituperatio nisi magnis sceleribus diem in noctem converti libenter finxissent poetae. [Cf. Thy. 880—1, Ag. 295, (De eodem facinore Thyestae):

„Phoebum nefandae stirpis auctorem vocas,
quem nocte subita frena revocantem sua
caelo expulistis?"]

Sed huic in Hercule (Oetaeo) tricolo certe debetur,

H. O. 1419-21. **Hyl.** Pro lux acerba, pro capax scelerum dies!
nurus Tonantis occidit, natus iacet,
n e p o s s u p e r s u m.

nam putidum est in tanto luctu illud „nepos supersum".

III. TROPI.

Hic sequuntur apud Quintilianum tropi. Quorum si forte omnes quos notavi adferens nonnullos tamen omisero, maxima erit causa quam Quintilianus memorat cum dicit (VIII, 6, 1) circa hanc partem inexplicabilem et grammaticis inter ipsos et philosophis pugnam esse, quae sint genera, quae species, qui numerus, quis cuique subiciatur. Praeterea quidam — *μεταφορὰ ἐπίθετον ἀλληγορία ὑπερβατὸν εἰρωνεία* abusio — aliis locis aut tractatisunt aut tractabuntur. *Ὀνοματοποιΐας*, de qua Quintilianus scribit (VIII, 6, 31): „Graecis inter maximas virtutes habita nobis vix permittitur", et *μεταλήψεως*, qui est tropus, ut ait idem (VIII, 6, 37), „et rarissimus et improbissimus" nullum exemplum habeo.

„SYNECDOCHE", inquit Q. (VIII, 6, 19—20), „variare sermonem potest ut ex uno pluris intellegamus, parte totum, specie genus, praecedentibus sequentia, vel omnia haec contra . . . . Maxime autem in orando valebit numerorum illa libertas . . . 'Romanus praelio victor' . . . . et contra Cicero ad Brutum 'populo, inquit, imposuimus et oratores visi sumus' cum de se tantum loqueretur". Hoc praecipue genere tragicus noster utitur.

Hf. 794—5. Sibilat totos minax
serpens per armos (De Cerbero.)

Tro. 353—4. Tu qui Pelasgae vincla solvisti rati
morasque bellis.

Phaed. 305. Ungula lentos imitante remos
Pectore adverso domuit profundum.

Ag. 438. Adiuvat ventos manu

Oed. 289. Tiresia tremulo tardus accelerat genu

150. Cessat irati fremitus leonis

604 sqq. Fluctusque non tot frangit Ionium mare,

Nec *tanta* gelidi Strymonis fugiens minas
permutat hiemes *ales*

Thy. 184—5. Tota sub nostro sonet
Argolica tellus equite

603. Et Dahae Parthis equitem minati

H. O. 17. Stymphalis icta est.

Ag. 849 sqq. Et sagittis
nube percussa Stymphalis alto
decidit caelo.
Magno Alcidae poscit gemitum
stratus vestris saetiger agris,

H. O. 1889. alesque sequi iussa sagittas [Cf. 'saetiger' et 'ales']
totum pinna velante diem

175—6. Natis mixtis arsisse patres
hominique deos, templa sepulchris — et cetera

1604—5. Umerisque tela
gestat et notas populis pharetras
Herculis heres.

Hf. 1117 (pharetras), H. O. 1481 (pharetras), 1720 (pharetras), 1274 (lacrimam expulit), 793 (Arabs), et alia id genus quae nemini nova adferre possem.

Saepe una persona de se, quasi plures sint, loquitur nulla tamen ratione constantiae habita; quod praesertim in vocabulo ‚noster' oratorie adhibendo apparet:

Med. 143. **Med.** Huc ire pergam, fluctibus dedimus ratem.

Tro. 309. „Et nimium diu | a caede nostra regia cessat manus"

ibid 313: „Supplices nostri patris", sed 232: „Sic meus venit pater." Andromacha (Tro. 443): „Cum subito nostros Hector ante oculos stetit", et (450): „Similisque nostro." Octav. 74 (nostras). Med. 414: „irasque nostras: sternam et evertam omnia." H. O. 995—6: „Dextera sternar tua sed mente nostra Phaed. 422—7: „Quid dubitas? . . . trepidamus?

Oed. 31. Mihi parcit uni? Cui reservamur malo?

88—90. **Oed.** Virtusque nostra nescit ignavos metus:
Si tela contra stricta, si vis horrida
Mavortis in me rueret:

Thy. 325—6. Atreus: Consili Agamemnon mei sciens minister fiat," sed (333): „nostra tu coepta occules." — Cf. „Cum se ipso deliberationem" in figuris sententiarum.

Totum pro parte positum habet Hf. v. 456 (Armatus venit | leone et hydra); partem pro toto

Ag. 953. Hostis parentis, impium et audax caput, quo more coetus publicos virgo petis?

Cf. »Ὦ κοινὸν αὐτάδελφον Ἰσμήνης κάρα« (Antig. 1), et in lingua Anglica „dear heart", „sweetheart."

Alia huius generis, quod omnibus notum est, ut praeteream, pro 'navis' carina dicitur aut puppis:

Tro 919. Spartana puppis vestra si secuit freta

Puppem freta secare!

Med. 362-3. Maiusque mari Medea malum
merces prima digna carina.

METONYMIAE exempla sunt

Phoen 219. (Ego hoc solum frugifera quo surgit Ceres | premo?)
Phaedr. 373. (Nulla iam Cereris subit | cura aut salutis), ibid. 969 (Nunc aestivi | colla leonis Cererem magno | fervore coquant), Oed. 49 (Denegat fructum Ceres | adulta et altis flava cum spicis tremat, et cetera), Hf. 697 (Estne aliqua tellus Cereris aut Bacchi ferax?), Oed. 566 (Fundit et Bacchum manu | laeva), Ag. 886 (et cruor Baccho incidet), Thy 65 (mixtus in Bacchum cruor), 701 (vina mutato fluent | cruenta Baccho), 987 (Admotus ipsis Bacchus a labris fugit), 900 (Bacchus), 915 et 973 (Bacchi). Tam saepe in hac fabula verbum Bacchus sic usurpatum invenitur quia in ea convivium habemus).

Hf. 1328—9 (Et tota [licet] Tethys per meas currat manus | haerebit altum facinus), HO. 1252 (Quae pigra Tethys genuit?).

De Tantalo poma frustra captante:

Thy 166—8. Has ubi protulit
et falli libuit, totus in arduum
autumnus rapitur silvaque mobilis.

Terra pro incolis eius ponitur, ut:

Tro. 896. Tibi fluxit Asiae, fluxit Europae cruor

Trahit

Ag. 206. Captiva Pergama et diu victos Troes

et id quod continet pro eo quod continetur, et alia similia:

Ag. 845. Hospitum dirus stabulis cruorem
praebuit saevis

Cf. „Nutritor stabuli" apud Martialem et apud Gratium „Stabula mansueta."
Phaedr. 1063 (currus ante trepidantes stetit), 1074—5 (haud aliter citos | currus gubernat)
Similia apud Vergilium sunt: „Infrenant alii currus" et „Neque audit currus habenas."
Συνεκδοχήν quoque epithetorum exempla quaedam habent, quae suo loco iam vidimus. Ut:

„Pallida mors" et „Pallentesque habitant morbi tristisque senectus" apud Quintilianum (VIII, 6, 27).
ΠΕΡΙΦΡΑΣΕΩΣ, a qua *ἀντονομασία* non est seiungenda, Seneca, ut omnes poetae, multa exempla habet:

Hf. 842 sqq. Quanta, cum longae redit hora nocti
crescere et somnos cupiens quietos
libra Phoebeos tenet aequa currus,
turba secretam Cererem frequentat et cetera
Tro 438—9. Partes fere nox alma transierat duas
clarumque septem verterant stellae iugum.
Ag. 460 -1. Iam lassa Titan colla relevabat iugo, et cetera.
547—8. Post hiemes decem
totidemque messes.
Phaedr. 838-9. Iam quarta Eleusin dona Triptolemi secat,
paremque totiens libra composuit diem,
ambiguus ut me e. q. s.
Ag. 42. Post decima Phoebi lustra devicto Ilio.
Phoen. 370—1. Bruma ter posuit nives
et tertia iam falce decubuit Ceres
Med. 720 2. Haemonius illas contulit pestes Athos
has Pindus ingens, illa Pangaei iugis
teneram cruenta falce deposuit comam.
Hf. 884 —5. Tro. 370, 747 (Famulare collo nobili subeat iugum, servire liceat), Phoen 148—9 (artis colla laqueis inseri | prohibebis?), 245—6 (uterique nondum solveram clausi moras), 262—3 (proloqui hymenaeum pudet | taedasque nostras). Phaedr. 389, 391-2 (nec niveus lapis | deducat aures, Indici donum maris), H. O. 659—60 (Non dispo sito clara monili | gestat pelagi dona rubentis),
Oed. 843—6. Regnum obtinente Laio famulus greges
agitasti opimos sub Cithaeronis iuga?

Phorb. Laetus Cithaeron pabulo semper novo
aestiva nostro prata summittit gregi.

Ag. 181, 364 (coniunx candida tauri). Cf. Med. v. 6 ubi simili modo pro vacca alba dicitur: „nivei femina corporis.")

Nisi περίφρασιν in versibus, qui sequuntur, habemus, quid sibi velint non intellego:

H. O. 569—70 (O, quod superbae non habent unquam domus,
fidele semper regibus nomen Licha)

Cf. in lingua Hebraeorum nomen Domini pro Dominus positum et talia multa

Alia περιφράσεως exempla, qualia sunt

H. O. 1868—70. Tutae pariter plangite gentes
quarum saevos ille tyrannos
iussit Stygias penetrare domos [I. e. occidit]

ibid. 1888—90. Magno Alcidae poscit gemitum
. . . .
alesque sequi iussa sagittas
totum pinna velante diem

Tro. 371—3. Verum est an timidos fabula decipit
umbras corporibus vivere conditis
cum coniunx oculis imposuit manum — et cetera
[I. e. cum mortui sumus]

in aliam partem distuli, ubi σχήματα ornatus causa dicta collecta sunt. Alius generis sunt

Hf. 721—2. In quo superbo digerit vultu sedens
animas recentes dira maiestas dei

Med. 243. Non paenitet servasse tot regum decus [Id est, tot reges inlustres.]

Cf. Oct. 74. Vox en nostras percussit aures
tristis alumnae; cesset thalamis
inferre gradus tarda senectus? I. e. ego anus tarda.

Idem genus notant Donati rhetoris scholia in Terentium: „Id virtus quin superet tua: Bona περίφρασις. Virtus tua potius quam tu." (Adelph. II, 3, 4.)

„Vestra intellegentia sedabit . . . Nostrae industriae . . . . Et bene περιφράσει usus est, ne diceret: vos nobis." Hec. Prol. 23 et 24. „Pugilum gloria: περίφρασις ἀντὶ τοῦ pugiles." ibid. 25. Apud Cornificium (IV, 32, 43) legimus „Hoc pacto: Scipionis provi-

dentia Karthaginis opes fregit. — Nam hic, nisi ornandi ratio quaedam habita, Scipio potuit et Karthago simpliciter appellari.“ —
et inter alia exempla, „Romana felicitas“ i. e. Romani felices (Naz. Pan. Constantino Aug. D. 37.)

ʼΑΝΤΟΝΟΜΑΣΙΑ.

Hf. 8—9. Hinc qua recenti vere laxatur dies,
Tyriae per undas vector Europae nitet
14—5. Hinc clara gemini signa Tyndaridae micant
quibusque natis mobilis tellus stetit.
659—60. Teque quam amotam inrita
quaesivit Enna mater,
Med. 2—3. Quaeque domituram freta
Tiphyn novam frenare docuisti ratem
79. Muris quod caret oppidum
Oed. 44. Obscura caelo labitur Phoebi soror

Cf Octaviae vv. 172—3: („Deo . . . . volanti“, id est Amori)

Phaedr. 220 sqq. Non umquam amplius
convexa tetigit supera qui mersus semel
adiit silentem nocte perpetua domum.

Ag. 616. H. O. 539, 624 sqq. (Nec quae Zephyro
subdita tellus stupet aurato
flumine clarum radiare Tagum.)

Alia exempla sunt altum et profundum pro mare posita, saetiger pro aper, sonipes pro equus.

HYPERBOLEN ponit Quintilianus „ audacioris ornatus summo loco“ tamen non alia via magis in κακοζηλίαν iri. Virtutem tum esse cum res ipsa de qua loquendum sit naturalem modum excesserit, nam dici quantum sit non posse et melius ultra quam citra stare orationem. Sed se hunc locum plenius tractasse in libro de causis corruptae eloquentiae (VIII, 6, 67—76).

De Priamo sene interfecto:

Tro. 50. Ensis senili siccus e iugulo redit

Ag. 656 sqq. Vidi vidi senis in iugulo
telum Pyrrhi vix exiguo
sanguine tingui.

Med. 342 sqq. Cum duo montes, claustra profundi,
hinc atque illinc subito impulsu
velut aetherio gemerent sonitu,

spargeret arces nubesque ipsas
mare deprensum.

Phaedr. 1007—8. Cum subito vastum tonuit ex alto mare
crevitque in astra.

Ag. 471 (In astra pontus tollitur). Leo attulit Verg. Aen. III, 423 (Et sidera verberat unda) et Lucan. X, 320 (spuma tunc astra lacessis)

Thy. 885—7. Aequalis astris gradior, et cunctos super
Altum superbo vertice attingens polum.

Cf. Horatii illud: „ Quod si me lyricis vatibus inseris
sublimi feriam sidera vertice.

H. O. 493. Qua trepidus astris inserit Pindus caput.

ibid. 1153—4. Et Pindo congestus Athos
nemus aetheriis inserit astris.

Magna est audacia Lucani fabulas temporum antiquiorum cum suorum scientia coniungentis:

Inseruit celsis prope se cum Pelion astris,
sideribusque vias incumbens abstulit Ossa." Phars. VI, 411—2.

H. O. 1621. Flectit hic pinum ferox
astris minantem et nube de media vocat.

Audacter dicta sed non sine audaciae inlecebris sunt

Ag. 849 sqq. Et sagittis
nube percussa Stymphalis alto
decidit caelo.

Cf. H. O. 1236—7: Tensus hac arcus manu
astris ab ipsis detulit Stymphalidas?),

H. O. 817. In astra missus fertur et nubes vago
spargit cruore . . .,

Hf. 1024 sqq. In coniugem nunc clava libratur gravis —
Perfregit ossa corpori trunco caput
abest — nec usquam est . . .,

Oed. 68. Dest terra tumulis . . .,

H. O. 45 sqq. Intraque nostras substitit metas dies:
Natura cessit, terra defecit gradum,
lassata prior est.

Qui autem mendacia audire volet legat haec Lucani:

Ecce procul saevus sterilis se robore trunci
Torsit, et immisit (Iaculum vocat Africa) serpens,

Perque caput Pauli transactaque tempora fugit.
[Cf. „relicta mortefugit".]
Quid prodest miseri basiliscus cuspide Murri
Transactus? velox currit per tela venenum
invaditque manum. Phars. IX, 822 sqq.

Alii loci harum tragoediarum qui hunc tropum habent sunt Phaed. 797, 813, Oed. 963—4, Ag. 434, H. O. 156, 699, 865, 1626 sqq., 1638.

4. FIGURAE.

Ornatuum proximum genus idque in quo tractatio nostra diutius haerebit sunt figurae. Quae cum formam usitatam sermonis mutent, nam est figura „arte aliqua novata forma dicendi" (IX, 1, 14) et „conformatio quaedam a communi et primum se offerente ratione" (IX, 1, 4), in oculos quasi prosiliunt dantque tragoediis his Senecae faciem quandam rhetoricam. Commentatores antiquos talia minime neglexisse ex Donati scholiis in Terentium, praesertim in Hecyram, apparet. Quintiliani dispositionem, quae ante eum usitata erat, sequentes duo faciemus genera: sententiarum figuras et verborum.

A. Figurae Sententiarum.

Hac in parte praecepit Quintilianus aut alii rhetores de figuris quae sunt interrogatio responsum apostrophe aposiopesis schema adfectuum simulatio, de aliisque, quas quotiens apud nostrum non invenimus, persequi nostra non interest; quare, cum in numero indefinito (cf Q. IX, 2, 102 sqq.) non omnes possimus tractare, nostro iure eas neglegemus.

Hac quoque in parte ex frequenti maxime figurarum usu institutionem rhetoricam scriptoris percipimus. Nam, cum apud omnes auctores interrogationes rhetoricae et apostrophae et exclamationes et aliae figurae inveniantur, in Senecae tamen tragoediis multo frequentiores sunt quam, exempli gratia, in eius exemplaribus Graecis. Hoc est: tragoediae a Seneca scriptae multo sunt ornatiores omni apparatu rhetorico quam illae.

Haec differentia inter usum rhetoricum et communem ut magna est ita tam late patet, ut facile eius obliviscamur. Sic primum non solet adfirmare Seneca sed exclamare, ut, exempli gratia:

H. O. 93 sqq. Cirrhaea Paean templa et aetheriam domum
serpente caeso meruit — o quotiens iacet
Python in hydra! Bacchus et Perseus deis
iam se intulere — sed quota est mundi plaga,
oriens subactus aut quota est Gorgon fera?
Flat gravis nimbis Notus
imbre auget undas, Eurus orientem movet
Nabataea quatiens regna et Eoos sinus;
Ag. 484. quid rabidus ora Corus Oceano exerens?
mundum revellit e. q. s.
Tro 219 sqq. Cecidere Thebae, vidit Eetion capi
sua regna victus; clade subversa est pari
apposita celso parva Lyrnesos iugo,
captaque tellus nobilis Briseïde
et causa litis regibus Chryse iacet
et nota fama Tenedos et quae pascuo
fecunda pingui Thracios nutrit greges
Scyros fretumque Lesbos Aegaeum secans,
et caro Phoebo Cilla; quid quas alluit
vernis Caycus gurgitem attolens aquis?

INTERROGATIONES. Interrogatio figura est (Q. IX, 2, 7—11) „quotiens non sciscitandi gratia adsumitur, sed instandi“, . . . „aut invidiae gratia [interrogamus], ut Medea apud Senecam: ‘Quas peti terras iubes?“

Med. 450 sqq. At quo remittis? Phasin et Colchos petam
patriumque regnum quaeque fraternus cruor
perfudit arva? quas peti terras iubes?
quae maria monstras? et sequentia.
Thy. 1024—5. Hoc foedus? haec est gratia? haec fratris fides?
Sic odia ponis?

„aut miserationis“, ut:

H. O. 1234. sqq. Herculem agnoscis pater?
Hisne ego lacertis colla Nemaei mali
elisa pressi? Tensus hac arcus manu
astris ab ipsis detulit Stymphalidas?
his ego citatam gressibus vici feram
radiante clarum fronte gestantem caput?
his fracta Calpe manibus emisit fretum?

his tot ferae, tot scelera, tot reges iacent?
his mundus umeris sedit? haec moles mea est?
haecne illa cervix? hasne ego opposui manus
caelo ruenti? quis meus custos manu
trahetur ultra Stygius? ubi vires prius
memet sepultae? quid patrem appello Iovem?
quid per Tonantem vindico caelum miser?
iam, iam meus credetur Amphitryon pater.

Oratoris sunt interrogationes quales sequntur:

Quid loquar . . .? quid memorem . .?

Hf. 226. Quid stabula memorem dira Bistonii gregis?

386—9. Quid matres loquar
passas et ausas scelera? quid geminum nefas
mixtumque nomen coniugis nati patris?
quid bina fatrum castra? quid totidem rogos?

H. O. 363. Referam quid alias?

Tales interrogationes sunt non infrequentes apud poetam nostrum. Cf. S. V, 2: „Quid dicam Salamina? Quid Cynaegiron referam et te, Polyzele?"
Sen. ad Polyb. de Consol. XIV und XV: „Quid tibi referam Scipionem Africanum . . . Quid referam Aemilianum Scipionem . . . Quid referam duorum Lucullorum diremptam morte concordiam? Quid Pompeios?" — Quid?, Quid . . .?

Hf. 241—2. Quid? saeva Lernae monstra, numerosum malum
non igne demum vicit et docuit mori?

Ag. 701. Quid illa felix turba fraterni gregis?
exhausta nempe.

Cf. C. I, 1, 8: „Surge infelix senex. quid? putatis illum flere quod eget? immo . . ? Quid quod . . .?

Ag. 265. Quid quod severas ferre me leges viro
non patitur animus turpis admissi memor?

Cur . .? ut:

Hf. 1207—10. Cur Promethei vacant
scopuli? vacat cur vertice immenso feras
volucresque pascens Caucasi abruptum latus
nudumque silvis?

H. O. 201—2. Cur mea nondum capiunt volucres
bracchia plumas?

Quis (quae, quod) cum nomine proprio, nonnumquam cum aliis in simili usu, coniunctum: Hf. 1161, Tro. 1104 sqq., Phaed. 119—20, 715—16, Thy. 1048—50.

Hf. 1323—6. Quis Tanais aut quis Nilus aut quis Persica
violentus unda Tigris aut Rhenus ferox
Tagusve Hibera turbidus gaza fluens
abluere dextram poterit?

Phaedr. 715 sqq Quis eluet me Tanais aut quae barbaris
Maeotis undis Pontico incumbens mari?

Med. 407—10. Quae ferarum immanitas,
quae Scylla, quae Charybdis Ausonium mare
Siculumque sorbens, quaeve anhelantem premens
Titana tantis Aetna fervebit minis?

Phaed. 1169 sqq. Membra quis saevus Sinis
aut quis Procrustes sparsit aut quis Cresius
Daedalea vasto claustra mugitu replens
taurus biformis ore cornigero ferox
divulsit?

H. O. 167. Quis vastus Briareus, quis tumidus Gyas?
Quis mea custos manu
trahetur ultra Stygius?

Cf. S. VI, 5: „Quae Charybdis est tam vorax?" et Ciceronem in Antonium: „Quae Charybdis tam vorax?"
„Quis Palamedes, quis Sisyphus, quis denique Eurybates aut Phrynondas talem excogitasset?" (Apulei Apol. 81). Eundem sensum efficientem habemus vocabuli nullus (a, um) et huius nominum generis coniunctionem, ut:

Hf. 479. Hoc nulla Iuno, nullus Eurystheus iubet
H. O. 24—5. Nullus Antaeus Libys
animas resumit.

Interrogatio talis nonnumquam voti partibus fungitur:

Phoen. 420 sqq. Quis me procellae turbine insano vehens
volucer per auras ventus aetherias aget?
quae Sphinx vel atra nube subtexens diem
Stymphalis avidis praepetem pennis feret?
aut quae e. q, s.

Thy. 623. Quis me per auras turbo praecipitem trahet e. q. s.

Oed. 929—30. Quae tigris aut quae saeva visceribus meis
incurret ales?

RESPONSA. Neminem fugere poterit perquam raro ad interrogata simpliciter responderi, sed plerumque aut sententiis aut brevi quodam inopinatoque sensu aut ambigue aut ita ut is qui dicit callide vel se defendat vel adversarium vituperet.

Sententiarum usum inlustrent Troadum versus 515 ubi Andromacha a sene admonita ut procul a filio occulto recedat „procul hinc recede teque diversam amove' respondet, non „Levius timebo, si prope eum ero", sed more apud Senecam usitato

Tro. 515. Levius solet timere, qui propius timet, et

Hf. 422—37. Lyc. Animosne mersus inferis coniunx facit?
Meg. Inferna tetigit, posset ut supera assequi.
Lyc. Telluris illum pondus immensae premit.
Meg. Nullo premetur onere qui caelum tulit.
Lyc. Cogere. Meg. Cogi qui potest nescit mori.
Lyc. Effare potius, quod novis thalamis parem
regale munus. **Meg.** aut tuam mortem aut meam.
Lyc. Moriere, demens. **Meg.** Coniugi occuram meo.
Lyc. Sceptrone nostro famulus est potior tibi?
Meg. Quot iste famulus tradidit reges neci!
Lyc. Cur ergo regi servit et patitur iugum?
Meg. Imperia dura tolle: quid virtus erit?
Lyc. Obici feris monstrisque virtutem putas?
Meg. Virtutis est domare quae cuncti pavent.
Lyc. Tenebrae loquentem magna Tartareae premunt.
Meg. Non est ad astra mollis e terris via.

De genere alio praecipit Quintilianus (IX, 2, 12): „Est aliqua etiam in respondendo figura cum aliud interroganti ad aliud, quia sic utilius sit, occurritur, tum augendi criminis gratia, ut testis in reum rogatus, an ab eo vapulasset, 'Innocens', inquit, tum declinandi, quod est frequentissimum: 'Quaero an occideris hominem', respondetur, 'Latronem;' 'an fundum occupaveris', respondetur, 'Meum.'

Hf. 1186. Tacita sic abeant mala.
Herc. Ut inultus ego sim?

Phoen 585—6. Teque pietati refer.
Pol. Ut profugus errem?

642 sqq. Dimitte pugnas, libera patriam metu,
luctu parentes. **Pol.** Sceleris et fraudis suae
poenas nefandus frater ut nullas ferat?

Cf. Oct. 177—8. Vince obsequendo potius immitem virum.
Oct. Ut fratrem ademptum scelere restituat mihi?
Thy. 321.

Tro. 339-40. **Ag.** Hos Scyros animos? **Pyrrh.** Scelere quae fatrum caret
Ag. Inclusa fluctu. **Pyrrh.** Nempe cognati maris.

Tro. 663—4. **Ulix.** Responsa peragam, funditus busta eruam.
Andr. Quae vendidistis?

Cf. Oct. 789 sqq. Reddere penates Claudiae divi parant
torosque fratris, debitam partem imperi.
Chor. Quos iam tenet Poppaea concordi fide?

Ag. 292—93. **Aeg.** Et cur Atrida videor inferior tibi
natus Thyeste? **Clyt.** Si parum est, adde ‘et nepos’.

(Nempe ex filia sua Thyestes illum sceleste genuerat).

Cf. C. I, 4, 12: „‚Non potui’, inquit, ‚matrem occidere’. quo excusatior sis, adice ‚et patrem’.“ — Matrem et adulterum deprensos, patre occidere iubente, filius dimiserat.“

955—7. **Clyt.** Hostis parentis impium atque audax caput?
quo more coetus publicos virgo appetis?
Elect. Adulterorum virgo deserui domum.
Clyt. Quis esse credat virginem? **Elect.** Natam tuam
Clyt. Modestius cum matre. **Elect.** Pietatem doces?

(Scilicet, qualem viro tuo praebuisti).

H. O. 436. **Nutr.** Perimes maritum? **Dei.** Paelicis certe meae

892. **Hyl.** Vitam relinques? **Dei.** Miseram, ut Alciden sequar,

Med. 169. **Nutr.** Non metuis arma? **Med.** sint licet terra edita.

496. **Ias.** Medea amores obicit? **Med.** Et caedem et dolos.

Med. 508—9. **Med.** Meis Creusa liberis fatres dabit?
Ias. Regina natis exulum, afflictis potens.

Phaed. 244-5. **Nutr.** Aderit maritus. **Phaed.** Nempe Perithoi comes?
Nutr. Aderitque genitor, **Phaed.** Mitis, Ariadnae pater.

Cf. C. II, 4, 2: „Meretricis, inquit, filium recepisti: nempe eius quae meum receperat.“ Ex. C. IV, 5: „Eundem, inquit, medici morbum esse dicunt. Nempe illi qui negaverunt te posse sanari.“

„**N**. Quid quod in limine repertus est? **O**. Facie quidem ad planctum versa." (Quint. D. Excerp. Caec. in Limine).

Hac in parte observandum est, saepe respouderi et illis interrogationibus, quales sunt, Quis hoc credat? Quisquamne hoc credat? ubi neminem significat is qui interrogat, neque vult plerumque ut sibi respondeatur, ut:

Hf. 317. sqq. **Meg**. Demersus ac defossus et toto insuper
oppressus orbe quam viam ad superos habet?
Amph. Quam tunc habebat cum per arentem plagam e. q. s.

118. **Herc**. Quisquamne segnis tanta toleravit mala?
Amph. Maiora quisquis timuit.

Thy. 536—7. **Atr**. Quis influentis dona fortunae abnuit?
Thy. Expertus est quicunque quam facile effluant[1])

H. O. 1354. **Alcm**. Quis tantus est qui vincat Alciden dolus?
Herc. Quicumque, mater, feminae iratae sat est.

H. O. 901—2. **Hyl**. . . . . Fata quis damnat sua?
Dei. Quicumque fata iniqua sortitus fuit.

439. **Nutr**. Quis iste furor est? **Dei**. Quem meus coniunx docet.

Alia sunt Phoen. 586, 643 sqq., Phaed 638.

Similem usum praebent Octaviae versus 79 et 867:

Oct. 77—9. **Nutr**. Quis te tantis solvet curis,
miseranda dies?
Oct. Qui me Stygias mittet ad umbras.

866—7. **Praefectus**: . . . Quis regere dementes valet?
Nero: Qui concitare potuit.

Inopinatas dant sententias versus Phaedrae 880, Oed. 694, Ag. 799, 996, Herculis Oetaei 1608:

Phaed. 879—80. **Thes**. Quod sit luendum morte delictum indica.
Phaed. Quod vivo.

Oed. 693—4. **Cr**. Quid tam beatae desse fortunae potest?
Oed. Quod dest.

Ag. 799. **Ag**. Victor timere quid potest? **Cass**. Quod non timet[2])

---

1) „Parum in illum contuleris si illi semel stultam fiduciam permansurae semper potentiae excusseris docuerisque mobilia esse, quae dedit casus, et maiore cursu fugere quam veniunt, neque . . . ?" (Sen. de Ben. VI, 33).

2) Cf. C. I, 8, 1: „'Non timeo', inquit. Hoc est cur timeam."

996. Mortem aliquid ultra est? **Aeg.** Vita, si cupias mori.
H. O. 1607—9. Effare casus, iuvenis, Herculeos precor
voltuque quonam tulerit, Alcides necem.
Nunt. Quo nemo vitam [1])

Haec acuta atque in omnia semper parata respondendi facultas ubi melius quam in controversiis disci potuit? Sed bene locis quibusdam inlustratur, ubi adversarii argumentum is, qui respondet, statim in suam partem trahit. Quod, Rutilium Lupum secuti, pro *συνοικειώσεως* specie habere possumus. Ille scribit: „Hoc schema docet diversas res coniungere et communi opinioni cum ratione adversari, et habet magnam vim vel ex laude vitium vel ex vitio laudem exprimendi. . . . . . Item Demosthenes, cum quidam obiecisset matre Scytha natum, respondit: Non miraris igitur, quod Scytha matre et barbara natus tam bonus et clemens evaserit" (II, 9).
Συνοικείωσις. C. II, 1, 32: „,A m i c u s, inquit, abdicatorum sum'. Quid ergo? mavis i n i m i c u m adoptet?" — Ex. C. IX, 4: „Caesus, inquit [pater], poenam remitto. Mirarer, nisi pro tam bono patre fuisset qui mori vellet . . . . Pater, inquit, voluit. Ita tu non tyranno tantum, sed etiam patri dignus visus es parricidio?" Raptor quidam eo argumento pro se saepe usus erat quod raptae pater ei ignoverat; respondetur: „Effregisti domum civis, ut dicis, etiam misericordis" (C. II, 3, 7). C. VII, 3, 5: „ ,Mihi, inquit, paravi venenum'. Ne quis dubitet an alium possit occidere." [Ter abdicatus venenum tenens in secreta parte domus a patre comprensus accusatur parricidii].
C. IX, 4, 5: „'Etiam nunc', inquit, ,in facie tua vulnera apparent.' Fili, nocet tibi quod tam cito occidisti tyrannum."

Q. D. 296: „Quare nihil est quod dicas mihi 'Nunquam istud obiecisti.' Quid enim hoc colligis aliud quam ut te abdicet indulgens pater?" , 308: „'Scripsit', inquit, 'et alteras tabulas.' Apparet quam noluerit intestatus mori, 345: „'Ego tamen dedi quod esset pro praemio.' Ideo exigis ut respublica non reddat? et si quid tu privatus liberaliter fecisti, universam civitatem vis facere sordide?" [Tyrannicida optet quod volet. Dives adulescenti pauperi dedit pecuniam ut tyrannum occideret. De praemio ambigunt.], 372: „'Non eras, inquit

---

1) Cf. Ottonis Rauschingii librum „de latinitate L. A. Sen. philosophi": (Quorsus haec retuli? ut apparerent. — Interrogas quid petas ex virtute? Ipsam.")

naturalis.' Tanto igitur plus merueram. Alienum sustuleram cum essent qui suos proicerent." [Cf. quae in capite ultimo de Plurali rhetorico dicta sunt."]

Tro. 310 sqq. **Ag.** Haud equidem nego
Hoc esse Pyrrhi maximum in bello decus,
saevo peremptus ense quod Priamus iacet,
supplex paternus. **Pyrrh.** Supplices nostri patris
hostesque eosdem novimus.

347—8. **Ag.** Illo ex Achille qui manu Paridis iacet.
Pyr. Quem nec deorum comminus quisquam petit.

Alia huius figurae exempla sunt.

Phaedr. 256—7. Dignam ob hoc vita reor
quod esse temet autumas dignam nece et

627—8, ubi Phaedra, cui, ne amori erga Hippolytum indulgeret, dictum erat Theseum ab inferis reversurum, respondet;

Thalami remittet ille raptorem sui? —
Nisi forte amori placidus et Pluton sedet, et

Thy. 211 sqq. Laus vera et humili saepe contigit viro
non nisi potenti falsa.

Ἀνάκλασις. Addo ad respondendi figuras ἀνακλάσεως exemplum. „Fieri solet, cum id, quod ab altero dictum est, non in eam mentem quae intellegitur, sed in aliam aut contrariam [ab respondente] accipitur" (R. Lup. I, 5), aut, „cum continenter unum verbum non eadem sententia ponitur" (Cic. Orat. 39, 135).

Atr. Expedi amplexus pater:
Thy. 1005—6. venere. natos ecquid agnoscis tuos?
Thy. Agnosco fratrem. Hf. 476—7 (laxari).

Phoen. 208—9 (Ut careas die? cares). Med. 25—6 (Parta iam parta ultio est: peperi).

Cf. „Miserum me! certus luctus est. filium agnosco, uxorem non agnosco." (Q. D. VI, 8). (Filii cadaver fluctibus in terram abiectum pater sepelire volens ab uxore sua vetatur.)

Huius figurae non malum exemplum adfert Quintilianus (IX, 3, 68): „Cum Proculeius quereretur de filio, quod is mortem suam expectaret, et ille dixisset se vero non expectare; Immo, inquit, rogo expectes." [1])

---

1) Sic Carmen de figuris: „'Non expecto tuam mortem, pater', inquit. At ille: 'Immo', ait, 'expectes oro neve interimas me' ".

Proximum figurarum genus, *σχήματα*, praebent

Phaed. 637—8. Quodnam istud malum est?

Phaed. Quod in novercam cadere vix credas malum

894—5. Quis, ede, nostri decoris eversor fuit?

Phaed. Quem rere minime.

ΣΧΗΜΑ. „Huic [ἔμφασιν eam quae est figura significat] vel confinis vel eadem est, qua nunc omnes utimur plurimum. Iam enim ad id genus, quod et frequentissimum est et expectari maxime credo veniendum est, in quo per quandam suspicionem quod non dicimus accipi volumus, non utique contrarium, ut in *εἰρωνείᾳ*, sed aliud latens et auditori quasi inveniendum, quod, ut supra ostendi, iam fere solum schema a nostris vocatur et unde controversiae figuratae dicuntur.“ (IX, 2, 65).

De cuius figurae nimia stultaque usurpatione querens (IX, 2, 77) „Atqui praecipue prima“, inquit, „quibus praecipere coeperam tempora hoc vitio laborarunt.“ Illa tempora ad Senecae accedunt, nam quo anno hic mortuus est Quintilianus annum tricesimum agebat. [1])

Etiam tempora ante Senecam et Senecae quoque hoc figurarum genere abundasse ex patris libro novimus. C. I, Pr. 23 sq.: „Solebat [Latro] schemata quoque per se, quaecunque controversia reciperet, scribere. et putant illum homines hac virtute caruisse, cum ingenium quidem eius et hac dote abundaverit? . . . . Schema negabat decoris causa inventum sed subsidii, ut quod aures offensurum esset, si palam diceretur, id oblique et furtim surreperet.“ C. II, 1, 33: „Otho Iunius pater solebat difficiles controversias belle dicere, eas in quibus inter silentium et significationem medio temperamento opus erat.“

C. VII, 1, 20: „Fuerunt et qui in novercam inveherentur; fuerunt et illi qui non quidem palam dicerent, sed per suspiciones et figuras.“

C. X, Pr. 10: „Oscus non incommode dixit, sed sibi ipsi nocuit, nam dum nihil non schemate dicere cupit, oratio eius non figurata erat sed prava.“

Ἔμφασις. „Est emphasis etiam inter figuras, cum ex aliquo dicto latens aliquid eruitur“ (IX, 2, 64).

---

1) Cf. Q. VIII, 3, 31: „Nam memini iuvenis admodum inter Pomponium ac Senecam etiam praefationibus esse tractatum, an gradus eliminat in tragoedia dici oportuisset.“

Cum schema aliud significet ac dicit, est aliis obscuritatis generibus, ambiguitati ἀδιανοήτῳ αἰνίγματα, cognata, neque ea nimia cura secernere conabor.

De hoc genere universo scribens ait Quintilianus (VIII, 2, 21): „Ingeniosa haec et fortia et ex ancipite diserta creduntur, pervasitque iam multos ista persuasio, ut id iam demum eleganter atque exquisite dictum putent, quod interpretandum sit. Sed auditoribus etiam nonnullis grata sunt haec, quae cum intellexerunt acumine suo delectantur et gaudent non quasi audierint sed quasi invenerint." Causam voluptatis recte percepit: „non quasi audierint sed quasi invenerint, gaudent." Esto; attamen gaudent. Neque hanc delectandi rationem Seneca neglexit.

Hf. 1225—6. Tartari ad finem ultimum
M a n s u r u s ibo. Monet de illo tempore cum ivit nec mansit.

Eodem modo de Orpheo dicitur, et de Theseo:

Med. 632—3. Contigit notam Styga Tartarumque
n o n r e d i t u r u s.

Phaed. 1241—2 Theseus: Recipe me aeterna domo
n o n e x i t u r u m.

Med. 475—6. Ausasque natas fraude deceptas mea
secare membra n o n r e v i c t u r i s e n i s.

Nefarie gaudens secum cogitat: 'stultis puellis promiseram eum revicturum.'

Juno querens quod a Jove feminarum mortalium conubia appetente tam saepe deserta esset:

Hf. 1. S o r o r Tonantis [I. e. Nihil praeter sororem]

Usitata apud omnes in sermone cotidiano sunt talia qualia sequuntur:

Tro. 365. Sic rite dabitur I. e. Tantum sic e. q. s.

495. Victor feroces impetus p r i m o s habet — Posteriores non sunt feroces.

Oed. 749-50. Illa Herculeae norint Thebae
proelia fratrum — Tantum illa.

H. O. 657. A u r e a miscet pocula sanguis.
Tantum aurea miscet et cetera.

Cf. vv. 646-7 aurea rumpunt tecta quietem,
vigilesque trahit purpura noctes et

v. 652. Pectora pauper secura gerit

quorum prior locus bene simpliciter dici potest; in altero, ut Leo interpunxit, nescio an ἔμφασις meliorem sensum praebeat.

Tro. 342-3. Ag. Ex virginis concepte furtivo stupro
et ex Achille nate, — sed nondum viro.

quibus verbis significat Pyrrhum ipsum (quem Achilles, cum puellam apud Lycomedam simularet, genuerat) virum non esse.

Med. 513-4. Ias. Quid, misera, meque teque in exitium trahis?
Abscede, quaeso. **Med.** supplicem audivit Creo.

Cf. Tro. 806. Non rara sunt talia ἐμφάσεως exempla, ut apud rhetores: „Si dixero: adulescentia turpis est, infamis pueritia, respondebit: iam ista Cicero defendit. Non pudet, Popilli? accusator tuus vivit.“ (C. VII, 2, 3) Popillius autem Ciceronem, qui eum parricidii reum defendisset, ab Antonio iussus occiderat.

Ag. 301. Clytaemnestra Aegisthum discedere iubens:
„Haec vacat regi ac viro.“

quod cum dicit negat Aegisthum aut regem aut virum esse.

Ἀλληγορία. In Oedipode victimas Tiresiae caeco describens, re vera de Oedipode Iocastaque et eorum filiis loquitur Manto.[1])

Oed. 341 sqq. Iuvenca ferro semet imposito induit
et vulnere uno cecidit, at taurus duos
perpessus ictus huc et huc dubius ruit
animamque fessus vix reluctantem exprimit.

et per locum totum eandem ἀλληγορίαν exsecutus est. Cf. 308, 319—23,[2]) 325—7, 338 (? cf. vv. 238 et 638), 350 (Per ora multus sanguis atque oculos redit), 360 sqq.

Ag. 138 sqq. Fluctibus variis agor,
quocumque me ira, quo dolor quo spes feret,
huc ire pergam; fluctibus dedimus ratem.

H. O. 694 sqq. Me nulla vocet turba potentem.
stringat tenuis litora puppis
nec magna meas aura phaselos
iubeat medium scindere pontum.
transit tutos Fortuna sinus
medioque rates quaerit in alto
quarum feriunt sipara nubes.

Cf. Horatium de republica (I, 14): O navis et cetera.

---

1) Decriptionem haud dissimilem habemus apud Lucanum (I, 600 sqq).
2) Cf. Lucanum (I, 549 sqq.)

Hf. 1039, Phoen. 94—8, 252—3, Ag. 738 sqq., Med. 39, 687—8 de serpente, quasi sicarius esset:

Hic saeva serpens corpus immensum trahit | trifidamque linguam exertat, et quaerit quibus | mortifera veniat.

Αἴνιγμα habemus in Phoenissarum versibus 134—7:

Phoen. 134 sqq. Avi gener patrisque rivalis sui,
Frater suorum liberum et fratrum parens;
Uno avia partu liberos peperit viro
sibi et nepotes.

Satis evidenter denuntiat Megara quid factura sit, si Lycus invitam se uxorem duxerit:

Hf. 500. Dest una numero Danais: explebo nefas.

Hector Andromachae per quietem visus:

Tro. 454—5. Troia quod cecidit gemis? Utinam iaceret tota nam erat „una magna turris e Troia super" (1068) de qua Astyanax erat praecipitandus.

Bene utitur Andromacha (Tro. 599—604) de filiolo in sepulchro patris abdito ambiguo iureiurando, quo Ulixen decipit:

Tro. 599—604. Ita quod minari maximum victor potest
contingat . . . . .
. . . .
ut luce cassus inter extinctos iacet
datusque tumulo debita exanimis tulit.

In Phoen. vv. 47—50 aliud *σχῆμα* invenire possumus ubi Oedipus cum Antigona sic loquitur:

Quid segnis traho
quod vivo? nullum facere iam possum scelus —
possum miser praedico — discede a patre,
discede (,) virgo. timeo post matrem omnia.

Inlustrationis causa adfero Q. IX, 2, 70: „Compositionibus ambiguis [inepte petitur schema] ut in illa controversia in qua infamis amore filiae virginis pater raptam eam interrogat a quo vitiata sit, Quis te, inquit, rapuit? Tu pater nescis?" — I. e. aut Tu, pater, nescis? aut Tu, pater: nescis?

Phoen. 261—2. Hoc alia pietas redimet: occidi patrem
sed matrem amavi.

Cf. Q. IX, 2, 69: „Ut in suspecta nuru, Duxi uxorem quae patri placuit.

Amphitryon Herculem d e f e n d e n s:

Hf. 476 sqq. Post multa virtus opera l a x a r i solet

Lyc. (σαρκαστικῶς): Hoc Euryti fatetur eversi domus
pecorumque ritu virginum oppressi greges

Ille autem voluerat dicere: Post multa opera virtus se ex laboribus reficere solet.

Amphitryon Herculi mori volenti suadens n e se occidat:

1263. Amph. Perimes parentem. **Herc.** Facere ne possim, occidam.

Ambiguitas enim in eo inest quod in Amphitryonis sententia supplendum est.

Si cui ineptum videtur in Tro. v. 1083, ubi de Graecis, qui in arboribus et locis editis sedentes caedem Astyanactis exspectant, dicitur

Tro. 1082—3. Hunc pinus, illum laurus, hunc fagus gerit
et tota populo silva s u s p e n s o tremit,

in verbo „suspenso" ambiguitatem esse suspicari, hoc exemplum adferre possis: „In hac controversia Publilianam sententiam dedit Festus quidam rhetor . . . Fuit autem Festi sententia: captus est, inquit, pater. si te capti movent, et haec capta est. et quasi non intellexissemus: an nescitis dici captos luminibus?" (Contr VII, 4, 8).

Oed. 797. Senex Cor. (Oedipodi persuadens ut ad matrem viduam reverteretur):

Viduam r e l i n q u e s? **Oed.** Tangis en ipsos metus. Hippolytus Phaedrae novercae amore eius flagranti, quae sensu occulto ei dixerat:

Phaedr. 622—3. Sinu receptam supplicem ac servam tege
miserere viduae , respondet: — pie . . . .

632—3. Et te merebor esse ne viduam putes
ac tibi parentis ipse supplebo locum.

Quo audito, O spes amantum credula, inquit illa, o fallax Amor e. q. s.

Thy. 976 sqq. Atreus Thyestae filios, quos ipse inscius comederat, requirenti:

Hic esse natos crede in amplexu patris,
hic sunt eruntque; nulla pars prolis tuae
tibi subtrahetur. ora, quae exoptas, dabo
totumque turba iam sua i m p l e b o patrem.

Illud h i c aut a p u d me, id est quam diu in domo mea sunt, aut i n t e significare potest. Alia sunt Ag. 789—99, Thy. 535—45, 998.

Phoen. 588—9. Pol. Quid paterer aliud, si fefellissem fidem
si peierassem . . . [sicut frater hic meus scelestus.]

Schema bonum ex Seneca patre adfero (C. X, 2, 7) ubi iuvenis fortis, cui cum sene patre aeque ambitioso de praemio virtutis certamen fuerat, etiam cum veniam petit, obliqua sententia eum reprehendit: „Ignosce, iuvenis erravi. ambitiosus non ero cum senex fuero.“ Nam si iuvenis, quem propter eius ambitionem pater abdicandum esse censet, cum senex fuerit ambitiosus non erit, quid de patre censeamus qui ne senectute quidem emendatus est?

Cf. C. I, 1, 7: „Quid obicis pater? puto misericordiam. scio quendam in hac civitate propter istud crimen adoptatum“ [Ipse filius erat.]

Ex. C. IV, 5: „Adice huc et quod qui sanantur ingrati sunt.“ [De patre sanato, qui adest, cogitat]

C. X, 1, 3: „Timeo enim, ne quis sibi iniuriam fieri credat, si dixero occiso. [De certo divite inimico.]

Q. D. 368: „Est hoc [misericordiam dicit] vitium illius: nuper et raptoris miserita est“ [Raptori ipsi dicitur], 294: Tam facile innocens occisus est in ea civitate, in qua sibi putat aliquis tam facile posse contingere, ne reus fiat.“ [Dicitur reo.]

Ex. C. V, 8 (O hominem et cetera) et C. X, 1 et Q. D. 335 multis locis schemata praebent.

Et, quia sermone recto decentius est, positum est schema,[1]) ut in Hf. 224—5, 455, 639—40, 1006—7, Tro. 953, Oed. 762—3, H. O. 686—91, Med. 585 et aliis locis qui plures sunt quam ut numerentur.

De occisis ant mortuis.

Hf. 224—5. Maximus Nemeae timor
pressus lacertis gemuit Herculeis leo.

Tro. 218. Inhospitali Telephus regno impotens | dum Mysiae ferocis introitus negat, | rudem cruore regio dextram imbuit.

455. Primus sagittas imbuit Phoebi draco.

Hf. 639—40. Nuntiat Diti Lycus
me iam redisse.

Ag. 1005—6. Perferre prima nuntium Phrygibus meis
propero

Ast illi caput
Hf. 1006—7. sonuit, cerebro tecta disperso madent.

---

1) Cf. Q. IX, 2, 92: „Confinia sunt his celebrata apud Graecos schemata per quae res asperas mollius significant“, et IX, 2, 96.

Tro. 48. Alto nefandum vulneri ferrum abdidit
1155. Ut dextra ferrum penitus exacta abdidit.
Thy. 722. Ast ille ferus | in vulnere ensem abscondit

Cf. Oct. v. 370 (Utero dirum | condat ut ensem) et 733 (Ensemque iugulo condidit saevum Nero) et S. IV, 5: „Fuscus illi ait: Si hoc dixisses audiente Alexandro, scisses apud Vergilium et illum versum esse: [Lateri] capulo tenus abdidit ensem.“ Cf. Leo. I, p. 156.

Tro. 1001. Reclude ferro pectus
Ag. 305. Aperire ferro pectus
Tro. 565—6. Saevus an victor tuo
lusit cruore?
Tro. 953. De Hecuba paene moriente:
Minimum est quod Hecubam facere felicem potest.
Tro. 373. Cum coniunx oculis imposuit manum
380. Et nudum tetigit subdita fax latus
Phoen. 180. Nunc manum cerebro indue
Thy. 740. Exegit ultra corpus — ac pueri statim
pectore receptus ensis in tergo exstitit.
Med. 652 sqq. Idmonem, quamvis bene fata nosset,
condidit serpens Libycis harenis
omnibus verax, sibi falsus uni
concidit Mopsus caruitque Thebis.
Oed. 785. Quietem Polybus aeternam habet

Cf. Phaed. 221 (Adiit silentem nocte perpetua domum), qui locus tantum *περίφρασιν* praebet.

Tro. 841. An carens numquam Gonoessa vento
quaeque formidat Borean Enispe.
Med. 149. Malea longas navibus flectens moras
373—4. Nil qua fuerat sede reliquit
pervius orbis
Indus gelidum potat Araxen,
Albin Persae Rhenumque bibunt

Sermone humiliore dicere potuit: Usque ad Araxen et Albin et Rhenum Indi Persaeque itinera faciunt.

Ag. 318 sqq. Quaeque Erasini gelidos fontes . . . bibis
I. e. ibi habitas.
Oed. 427—8. Vidit aurato residere curru·
veste cum longa tegeres leones.

omnis Eoae plaga vasta terrae,
qui bibit Gangen niveumque quisquis
frangit Araxen.

Med. 612. Quisquis intravit scopulos vagantes
et tot emensus pelagi labores
barbara funem religavit ora
raptor externi rediturus auri

Poetice ἀντὶ τοῦ in oram egressus est. Omnes enim una nave Argo vecti erant, neque unusquisque „funem religavit ora."

Phaed. 396. Aethera ac lucem petit
et teste caelo vivit

801. Caesaries nescia colligi

H. O. 206. Serpens . . . . ignara vinci

Cf. Oed. 545. Lucis et Phoebi inscius . . . umor

Ag. 113. Et qui redire cum perit nescit pudor

Oed. 762—3. ‚Citus Actaeon . . . canes suos effugere conatur,
Donec placidi fontis in unda
cornua vidit vultusque feros;
ibi virgineos foverat artus
nimium saevi diva pudoris. Schema: nam reverentia adversus deam „saevi pudoris" culpam illius occultare iubet.

Ag. 706. Fecunda in ignes Hecuba fatorum novas
experta leges induit vultus feros,
circa ruinas rabida latravit suas.

H. O. 199. Fugit vultus Philomela suos

Thy. 599. Ille qui donat diadema fronti

667. Talis est dirae Stygis
deformis unda quae facit caelo fidem.

781—2. Saepe praeclusae cibum
tenuere fauces

H. O. 190. Me vel Siculis addite saxis

198. Sibi Tantalis est facta superstes

Cf. Ag. v. 709 de Hecuba in canem mutata:
Troiae superstes, Hectori, Priamo, sibi

H. O. 213. Nondum teneras vestite genas
necdum forti sanguine, Toxeu.

H. O. 299—300. Pro me gerebas bella propter me vagas
Achelous undas sanguine infecit suo

I. e., Tu propter me A. vulnerasti.

H. O. 975—6. (Teque languenti manu non audit arcus?)

Alia sunt Med. 29 (spectatur) Oed. 658, 906—8, Ag. 748—9, 830—66, H. O. 16—25, 777, 1621 (vocat), 1650 (sensit).

H. O. 686—91. Sed dum volucres vincere veras
Icarus audet patriasque puer
despicit alas Phoeboque volat
proxumus ipsi; dedit ignoto
nomina ponto.

Idem habemus Oed. 898: „nomen eripuit freto", H. O. 685 de Daedalo: „nullique dedit nomina ponto."

Phoen. 610. Hinc qua reliquit nomen Inois mari.[1])

Thy. 139—42. Proditus occidit
deceptor domini Myrtilus, et fide
vectus qua tulerat nobile reddidit
mutato pelagus nomine.)

Cf. Nam cur hac vectis Phrixo Phrixique sorore
sola dedit vastis femina nomen aquis? Ov. Her. XVIII, 163—4 et notum illud Horatii: . . . .
ille ceratis ope Daedalea
nititur pennis vitreo daturus
nomina ponto Hor. Car. IV, 2.

His exemplis simile est quod Quintilianus de *νοήματι* (VIII, 5, 12) scripsit.

Exemplum apud panegyricos huius modi schematis unum est ex multis: „Quae enim memoria unquam transcursum tantae celeritatis vel in audacibus Graecorum fabulis commenta est? Pegasus volucer factus a Lycia non ultra Ciliciam permeavit. Cyllarus atque Arion inter Argos Nemeamque senuerunt." [Sed, ut apparet,

---

1) De hoc cf. de Wilamowitz, cuius sententiae accedo his de causis: 1) Tantum Asiae regionum mentio fit et quidem. 2) hic Hellesponti (Hinc qua relinquit nomen Ionii maris faucesque Abydo Sestos opposita premit) 3) Non nihil auctoritatis alia similia exempla huic emendationi praebent. 4) Melius Helle, cui erat Ino noverca, Inois appellari potest quam Ionium mare tam longe remotum sic in rem alienam, nisi versus plures intercidisse credimus, trahi.

sensus est eos non (tota vita) ultra Argos Nemeamque vectos esse.] Auson. Grat. Act. 81.

Haec tota pars περιφράσει et μεταφορᾷ saepe, ut animadvertistis, confinis est.

Nonnumquam varietas petitur nominibus, inter quae ea actio quam verbum (grammatice loquor) exprimit versatur, inusitato ratione cum hoc coniungendis, ut:

Hf. 174—5. Novit paucos
secura quies.
Pro hoc: Pauci noverunt securam quietem.

Thy. 518. Hae te precantur pedibus intactae manus.

Tro. 692—3. Quamque nullius pedes
novere dextram pedibus admoveo tuis.

Tro. 698. Sic te revisat couiugis sanctae torus

Phaedr. 396. Laeva se pharetrae dabit,
hastile vibret dextera

H. O. 380. Ut laeta silvas forma vernantes habet

1444. Iam prope a caelo fui,
Trachina video quis mihi terras dedit? Cf. Oed. 785.

Huius generis schemati debet quidquid habet hilaritatis hoc in re humiliore dictum: ‚Finally with great skill my left eye succeeded in striking his right fist.'

ADFECTUUM SIMULATIO. Hoc nomine complector invocationes exclamationes ἀποστροφήν subitas mutationes (adfectuum descriptiones in descriptionis ornatibus iam tractavi) ἀποσιώπησιν reliquas figuras id genus. Exempla multa sunt, nam nemo ignorat in hac parte facile percipi differentiam inter rhetoricam et usitatam rationem loquendi.

Distinctionem inter veros adfectus et simulatos, quamquam tantum simulati figurae sunt, facere non conabor, nam et distingui nequeunt et utrique aeque sunt oratoris.

Exemplorum causa adfero Q. IX, 2, 26: „Namque et irasci nos et gaudere et timere et admirari et dolere et indignari et optare, quaeque sunt similia his, fingimus. Unde sunt illa: Liberatus sum: respiravi; et Bene habet; et Quae amentia est haec? O tempora, o mores! et Miserum me! consumptis enim lacrimis infixus tamen pectori haeret dolor et Magnae nunc hiscite terrae!" Cf. in Phaedr. v. 1238 et Oed. v. 868 „Dehisce tellus."

Exclamationes. Exclamationes usitatae sunt:

Bene habet! Hf. 1035. Cf. C. I, 8, 4.
Bene est! Ag. 870. Cf. C. II, 5, 1.
Bene est! abunde est! Thy. 279, 889.
Bene est! tenetur! Hf. 630, Med. 550.
Bene est! peractum est! Med. 1019, Oed. 998.
Habet! peractum est! Ag. 901, H. O. 1457, 1472.
Peractum est! H. O. 1340.

Apostrophe saepe rhetorice adhibetur:

Tro. 595—6. Fatere quos premis luctus, dolor,
gaudete Atridae, tuque laetifica, ut soles,
refer Pelasgis.

666—7. Pyrrhe, genitoris tui
munus tuere.

Phoen. 25—6. Mersura natum seque — felices quibus
fortuna melior tam bonas matres dedit.

332 sqq. Me nunc sequuntur; laudo et agnosco libens,
exhortor, aliquid ut patre hoc dignum gerant.
Agite, o propago cara et cetera.

Oed. 642. (Fratres sibi ipse genuit . . . te te cruenta sceptra qui dextra geris e. q. s.)

Alia exempla sunt Hf. 745, 858, 870, 1097, Tro. 117, Phoen. 155, Oed. 236, Ag. 827 (te sensit — sed statim v. 835, de eodem (domuit), 871, Thy. 72, 147, H. O. 1054.

Haec figura scaenis personas assignanti nonnumquam aliquid difficultatis praebet, cum non semper statim liqueat utrum persona de qua agitur in scaena sit an absens.

Tro. 60—1. Hic optat Heleni coniugem, hic Antenoris
nec dest tuos, Cassandra, qui thalamos petit.

977. Cassandra felix, quam furor sorti eximit
Phoebusque.

Med. 924. Liberi quondam mei
vos pro paternis sceleribus poenas date.

Conferte hoc, quod paulo infra dicit: Huc cara proles, unicum afflictae domus | solamen, huc vos ferte et infusos mihi coniungite artus, et cetera.

Ag. 951—2. Patere me vittis tuis,
Cassandra, iungi paria metuentem tibi.

Alia species est de qua Quintil. scribit: „Alterum, quod est ei figurae sententiarum, quae ἀποστροφή dicitur, simile, sed non sensum mutat verum formam loquendi:

Decios Marios magnosque Camillos
Scipiadas duros bello et te, màxime Caesar" (IX, 3, 24).

Testor deorum numen adversum mihi,
Tro. 29. patriaeque cineres teque rectorem Phrygum.
Talthyb. Emicuit ingens umbra Thessalici ducis
183. Threicia qualis arma proludens tuis
iam, Troia, fatis. . . .
365 sqq. Non tamen nostras tenet
haec una puppes causa: nobilior tuo,
Polyxene, cruore debetur cruor.
Phoen. 232—3. Oed. Et aures ingerunt quidquid mihi
donastis, oculi
Med. 643 sqq. Stravit Ancaeum violentus ictu
saetiger; fratrem, Meleagre, matris
impius mactas.
Oed. 192 sqq. Jamque amplexu
frigida presso saxa fatigant;
quos liberior domus elato
custode sinit, petitis fontes
aliturque sitis latice ingesto.
559. Vocat inde manes teque qui manes regis.
Ag. 612—3. Vídimús patriám ruéntem nócte fúnestá
cum Dárdana técta Dóricí raperétis ígnes.
818—9. Cui lege mundi
Iuppiter rupta geminavit horas
roscidae noctis iusstique Phoebum
tardius celeres agitare currus
et tuas lente remeare bigas,
pallida Phoebe.
Thy. 864. Cadet Aegoceros frangetque tuam,
quisquis es, urnam.
H. O. 459. Umbrae stetistis et mea iussi prece
manes locuntur.

Προσωποποιΐαν non raro cum apostropha coniunctam habemus. Sic:
Hf. 1115 sqq. Et tu collo decus ac telum
suspensa diu, fortis harundo

pharetraeque graves, date saeva fero verbera tergo.

Tro. 90—1. Cui coniugio pectora velas captive pudor?

Oed. 630 sqq. Patria, non ira deum et cetera,

Ag. 649 sqq. Quid nunc primum, dolor infelix, quidve extremum deflere paras?

Ag. 517, 721, 783. 808.

Simplex est προσωποποιΐας genus

Thy. 552. Ira cum magnis agitata causis gratiam rupit cecinitque bellum.

Ad hanc figuram haec, quae sequitur

Cum se ipsa Deliberatio in talibus exemplis accedit:

Med. 937. Quid, anime, titubas?

Phaed. 112. Quo tendis, anime?

Ag. 108. Quid, segnis anime, tuta consilia appetis?

228. Quid terga vertis, anime?

868. Anime, consurge et cape pretium furoris.

915. Quid, anime, demens refugis?

Thy. 270. Hoc, anime, occupa.

283. Anime, quid rursus times?

324. Male agis recedis, anime.

423. Quid, anime, pendes quidve consilium diu tam facile torques?

H. O. 842. Quid, anime, cessas? quid stupes?

866. Eligere nescis, anime, cui telo incubes?

Alia sunt: Tro. 686 sqq., Thy. 176 sqq. et quae infra habemus:

Tro. 605—18. Quid agis, Ulixe? Danaidae credunt tibi; tu cui? et cetera.

642—62. Quid agimus? animum distrahit geminus timor e. q. s. Cf. Quint. de figura in interrogatione posita: „Et ipsi nosmet interrogamus, quale est Terentianum: quid igitur faciam?“ (IX, 2. 11) et Donati Comment. in Hecyr. IV, 1. 1: „Quid agam? quo me vertam?: Figura διαπόρησις apta turbatis.“

In multis exemplis personae grammaticae valde inter se permixtae sunt, sed non sine ulla et nonnumquam bona causa, cum in eo, qui cum se ipso deliberat, duae personae finguntur.

Phoen. 178 sqq. Audies verum, Oedipus,
minus eruisti lumina audacter tua
quam praestisti. nunc manum cerebro indue.
hac parte mortem perage qua coepi mori.
Med. 50 sqq. Maiora iam me scelera post partus decent.
accingere ira teque in exitium para et cetera.
397 sqq. Si quaeris odio, misera, quem statuas modum
imitare amorem regias egone ut faces
inulta patiar? — Cf. 414 irasque nostras.
Phaed. 425 sqq. Quid dubitas? dedit
tempus locumque casus. utendum artibus.
Trepidamus?
Oed. 31. Mihi parcit uni? cui reservamur malo?
1035 sqq. Quid illum nomine haut verum vocas?
socer est. utrumne pectori infigam meo e. q. s.
1046—7. O Phoebe mendax, fata superavi impia.
pavitante gressu sequere pallentes vias et cetera.

Σχέσιν habemus cum „adversariorum adfectum quemlibet fingimus, cui respondeamus, ut in illo:

Indignum est Italos Troiam succendere flammis
Nascentem et patria Turnum consistere terra:
Quid face Troianos atra vim ferre Latinis?" [Iul. Rufin. de schem. dianoeas, § 5]

Hf. 352—3. Invidia factum ac sermo popularis premet? —
Ars prima regni est posse et [?] invidiam pati.
402—3. Cruento cecidit in bello pater?
cecidere fratres? — arma non servant modum.
Tro. 909—10. Durum et invisum et grave est
servitia ferre? — patior hoc olim iugum e. q. s.
917—8. Causa bellorum fui
tantaeque Teucris cladis? — hoc verum puta
Spartana puppis vestra si secuit freta. — Ag. 281 sqq.

Mutationes. Mutationibus subitis saepissime et plerumque been utitur Seneca. Adfectus in extremis versantur, inter quae nihil est medium, sed subito plerumque fit transitus. Quod cum ex actione et pronuntiatione totum dependeat, tantum in sermone continuo probari potest. Exempla praebent: Hf. 83—5, Tro. 607, Phoen. 38, 300, Med. 920, 950, 988 sqq., H. O. 307. Alia sub declamatione attuli.

Transitus usitatissimi sunt:

Sed vetera querimur. — Magna sed nimium loquor, — Cur (Quid) diem questu tero? — Sed quid hoc? (Hf. 939, Oed. 911, Thy. 985, H. O. 1015, 1755 [?]), Quid hoc? (Hf. 976, Thy. 992, H. O. 307, 1432, 1441), Quis hoc est? (Hf. 1042, Ph. 705, Thy. 421), Heu quid hoc? (H. O. 1595).

Εἰρωνείας multae sunt species[1]).

Ἀντίφρασις, ut: Quid loquar . . .? Quid memorem? non dicam . . et alia, „cum quaedam negamus nos dicere et tamen dicimus, ut apud Lucilium, Non tango quod avarus homost quodque improbus mitto et apud Vergilium:

Quid memorem portus Lucrinoque addita claustra."

(I. R. de S. D. § 12).

Ἐπιτροπή, quae fit „cum figurate concedimus, quod velit quis faciat, ut Vergilius Aeneidos primo:

[I,]sequere Italiam ventis, pete regna per undas",

Iul. Ruf. § 27. Idem fere Quint, IX, 2, 48.

Hf. 89. I nunc, superbe, caelitum sedes pete
humana temne!

Med. 1007—8. I nunc, superbe, virginum thalamos pete,
relinque matres!

In Rauschningii libro inveni haec ex Senecae aliis scriptis collecta: „I nunc et puta . . ." (Ad. Helv. de Consol. X, 10), ibid VI, 8: „I nunc et puta". De Ben. VI, 35, 5: „I nunc et hoc grati esse puta", N. Q. I, 16, 3: „I nunc et dic . . ." Huius significationis vocabulorum 'i nunc' Rauschning dicit praeter quosdam apud Livium locos, apud poetas solos exempla inveniri. (p. 9.)

Tro. 1165 sqq. Ite ite, Danai, petite iam tuti domos;
optata velis maria diffusis secet
secura classis: concidit virgo ac puer;
bellum peractum est.

Phoen. 334 sqq. Agite, o propago cara, generosam indolem
probate factis, gloriam ac laudes meas
superate et cetera.

Σαρκασμός. In respondendo bene fit saepe *σαρκασμός* verbis adversarii iterandis, ut:

Pyrrh. Tunc magnus Hector arma contemnens tua
cantus Achillis timuit et tanto in metu
navalibus pax alta Thessalicis fuit.

1) Cf. Q. IX, 2, 47—51, Iul. Ruf. §§ 1—7.

Tro. 325. **Ag.** Nempe isdem in istis Thessalis navalibus
pax alta rursus Hectoris patri fuit.

Ag. Ex virginis concepte furtivo stupro
Et ex Achille nato sed nondum viro
Pyr. Illo ex Achille genere qui mundum suo
. . . .
347. **Ag.** Illo ex Achille qui manu Paridis iacet.

Antig. Auctorque placidae liberis pacis veni
Phoen. 350—1. **Od.** Vides modestae deditum menti senem
placidaeque amantem pacis ad partes vocas?
Ias. Ingrata vita est cuius acceptae pudet.
Med. 505. **Med.** Retinenda non est cuius acceptae pudet.
Oed. Quis fuerit infans edoce. **Phorb.** Prohibet fides.
Oed. 801. Huc aliquis ignem! flamma iam excutiet fidem.
Satell. Ubi non est pudor
Nec cura iuris sanctitas pietas fides
Thy. 216. instabile regnum est. **Atr.** Sanctitas — pietas — fides
privata bona sunt: qua iuvat reges eant.

Alia exempla *σαρκασμοῦ* sunt

Hf. 491—2. Et te magistro non novum hoc discet nurus
Etiam viro probante meliorem sequi [Lycus Amphitryoni] —
Pyrrh. Dignamque quam det Pyrrhus et nimium diu
a caede nostra regia cessat manus [Pyrrhus et
nostra gloriose]
Tro. 310. paremque poscit Priamus: **Ag.** Haud equidem nego
hoc esse Pyrrhi maximum in bello decus
saevo peremptus ense quod Priamus iacet —
supplex paternus.

Andromacha Ulixi:

755—6. Nocturne miles, fortis in pueri necem,
iam solus audes aliquid et claro die? —
Ias. Perimere cum te vellet infestus Creo
lacrimis meis evictus exilium dedit.
Med. 492. **Med.** Poenam putabam; munus, ut video, est fuga.

De Agamemnone Clytaemnestra:

Ag. 236. Ignavus ille ductor ac fortis pater. —
Clyt. Animos viriles corde tumefacto geris;
sed agere domita feminam disces malo.

960. **Electr.** Nisi forte fallor, feminas ferrum decet.
Thy. 1021—3. Iam accipe hos potius libens
diu expetitos — nulla per fratrem est mora.
fruere, osculare, divide amplexus tribus. —
Thy. Piorum praesides testor deos.
1103. **Atr.** Quin coniugales?

Χλευασμὸς hoc genus, quod *σαρκασμὸν* dixi, saepe vocabatur: „*Χλευασμὸς* est ironiae proxima figura, cum aliquos amara oratione non sine derisu insectamur ac laedimus … Inter chleuasmon autem et ironiam hoc interest quod ironia specie magnificationis illudit et, dum laudat, irridet; at chleuasmos palam cum amara insultatione castigat.“ (Iul, Rufin. de Sch. dian. § 10).

Ironiae hoc sensu proprio dictae exempla sunt:

Flagrant strata passim Pergama:
Tro. 890—2. O coniugale tempus! an quisquam audeat
negare? quisquam dubius ad thalamos eat
quos Helena suadet?
Cum stetit ad aras ore sacrifico pater
Ag. 167. quam nuptiales!

B. Figurae Verborum.

Hoc quoque genus figurarum, quod est apud Senecam frequentissimum, fabulis eius colorem dat rhetoricum. Nam in verbis ipsis, in sententiae conformatione figuram habemus, non solum in sensu.
NOMINA PROPRIA. Figura est verbi ubi „de nobis loquimur tanquam de aliis: dicit Servius, negat Tullius." (Q. IX, 3, 21). Cuius exempla sunt plurima, praecipue in quibus per ἔμφασιν magna cum vi nomen effertur.

Hf. 1168. **Herc.** Victor Alcidae lates? Cf. H. O. 996:
Dei: Natus Alcidae times.
1155. **Herc.** Ipsumque quis non Herculis somnum horruit?
Tro. 749. **Ul.** Non hoc Ulixes, sed negat Calchas tibi
757. **Ul.** Virtus Ulixis Danaidis nota est satis,
nimisque Phrygibus.
Thy. 937. **Thy.** Veteram ex animo mitte Thyesten.
H. O. 1264. **Herc.** O, malum simile Herculi!

Alia sunt, ut una ex parte sumam, H. O 1137, 1171, 1175, 1177, 1178, 1190, 1231, 1233, 1234, 1268, 1291, 1314, 1320, 1325.

Nec solum qui de se loquitur nomine proprio pronominis loco utitur, sed, cum quod grandius sonat, tum quod significantius est, et in aliis saepe fit personis, ut:

Hf. 1043—4. An video Herculis
manus trementes?
1239. Nunc Hercule opus est: perfer hanc molem mali
1276—7. Nunc magna tibi
virtute agendum est; Herculem irasci veta.

Nam personae harum tragoediarum pronomina, verba parvula, quasi infra orationis dignitatem vitant, et nominum propriorum omni genere — inprimis locorum — delectantur. Multo pauciora sunt eius modi exempla in tragoediis Graecis.

Adiectionis Figurae. Genera praecipua sunt geminatio, repetitio post aliquam interiectionem, *ἐπαναφορὰ ἐπιφορὰ κοινότης* regressio *πολύπτωτον* primorum et ultimorum inter se responsio, mediorum et primorum, mediorum et ultimorum, mediorum et mediorum, mutata crebrioribus declinationibus iteratio verborum (ut: scire . . sciat, iudicio iudicabant; Q. IX 3, 28—44). Cf. Ciceronem in Oratore (III, 54): „Eadem ratio est horum, quae sunt orationis lumina et quodam modo insignia, cum aut duplicantur iteranturque verba aut breviter commutata ponuntur, aut ab eodem verbo ducitur saepius oratio, aut in idem conicitur, aut utrumque, aut adiungitur idem iteratim, aut idem ad extremum refertur, aut continenter unum verbum non in eadem sententia ponitur."

GEMINATIO. ‚Geminatio plerumque aut instandi et amplificandi gratia fit aut miserandi, ut: occidi, occidi, non Sp. Maelium, et Ah. Corydon, Corydon, quae te dementia cepit!, Cuius figurae similis est repetitio aliquibus verbis interiectis'. (Q. IX, 3, 28—29).

Commiserationis causa.

Tro. 680. Me, me sternite hoc ferro prius.

Andromachae verba filium parvulum ex latebris producentis:

707—8. Hic est, hic est terror, Ulixe,
mille carinis.

969. Nos, Hecuba, nos, nos, Hecuba, lugendae sumus.

Hf. 1177. At tu ede, Theseu, sed tua, Theseu, fide.

Cf. Donati comm. in Hec. I, 2 ,vv. 56—8 [Pármeno, |
perií, quid ego egi? in quod me conieci malum
non pótero hoc ferre, Parmeno, perii miser]:

„Parmeno: Moraliter et antonomatice nomen repetit . . . Et mire interposuit nomen ut affectum doloris ostenderet."

Hf. 1314. Iam parce, genitor, parce, iam revoca manum.

Tro. 739. Has has ruinas urbis in cinerem datae
hic excitabit?

Phad. 1159. Me, me, profundi saeve dominator freti,
invade et in me monstra caerulei maris et cetera.

Oed. 1013. Matris en matris sonus!

H. O. 1201. Pro ferae victae ferae!

1248. Iam iam meus credetur Amphitryon pater

1778. O nimis felix nimis,

Thebane coniunx.
1803. Pro nimis felix nimis,
si fulminantem et ipsa sensissem Iovem.
1891. Flete Argolicae flete Cleonae.
1930. Fallor fallor vaesana furens.

Instandi causa et adfirmandi: —

Hf. 1242—3. Arma, arma, Theseu, flagito propere mihi
subtracta reddi.
Hf. 523. Audimur, est — est sonitus Herculei gradus
H. O. 1130. Est — est Herculeus sonus.
Tro. 625. Intremuit — hac hac parte quaerenda est mihi.
Oed. 667—8. Falsusne senior an deus Thebis gravis —
Iam iam tenemus callidi socios doli.
Ag. 965—6. Citius interea mihi
edissere, ubi sit natus, ubi frater tuus?
H. O. 764—5. Quamprope a leto tamen
ede, ede, quaeso, iaceat Alcides meus.
1944—5 Unde unde sonus trepidus aures
ferit?

In quibusdam vocalubis parvis haec figura sine causa rhetorica usurpatur, praesertim in verbis, ite, ite, ut apud Graecos. Sic: Tro. 627 (Ite, ite celeres), 1165 (Ite, ite, Danai, petite iam tuti domos), Med. 845 (Ite, ite, nati, matris infaustae genus), Phoen. 12 (Ibo, ibo, qua praerupta protendit iuga | meus Cithaeron), H. O. 344 (Ire, ire ad umbras Herculis nuptam libet); Phaedr. 9 (Hac hac alii, qua nemus alta | texitur alno), 83 (Hac hac pergam qua via longum | compensat iter); H. O. 325 (Iam, iam minaces ire per caelum faces | specta), H. O. 1102 (Iam iam legibus obrutis | mundo cum veniet dies | australis polus obruet | quidquid per Libyam iacet e. q. s).

Alia sunt exempla huius figurae:

Med. 117. Vix ipsa tantum vix adhuc credo malum
Oed. 1038—9. Hunc, dextra, hunc pete
uterum capacem, qui virum et natos tulit.

Cf. verba ab Agrippina percussori dicta (»Ventrem feri«):

Oct. 371—2. Rogat infelix utero dirum
condat ut ensem:
Hic est hic est fodiendus, ait,
ferro, monstrum qui tale tulit.

Thy. 827—9. Sed quidquid id est, utinam nox sit!
trepidant, trepidant pectora magno
percussa metu.

Cf. Cic. Cat. I, 1, 3: „Fuit, fuit ista quondam in hac republica virtus“ . . . . ibid: „nos, nos, dico aperte, consules dessumus.“ (Amplificandi causa).

Phil. II, 15, 37: „Dolebam, dolebam, patres conscripti, rem publicam . . . .“ (Miserandi causa).

Phil. XII, 2, 4: „Decepti, decepti, inquam, sumus, patres conscripti.“ [Ex Volkmanni libro, „Rhet. der. Gr. und Römer“ qui inscribitur, haec exempla attuli].

Contr. II, 1, 8: „Surgite, surgite miserrimi iuvenes.“ Donatus in Hec. II, 1, 32 (Sóla hic fuisti: in te omnis haeret, culpa sola, Sostrata): „Sola, Sostrata. Optime geminavit sola more irascentium.“

Bene terrorem hac figura Ennius in Alcumeone (III, 26 apud Ribbeckium expressit: „Incedunt incédunt: adsunt, ádsunt, me med éxpetunt“, neque in hoc versu (I. i. f. (VII, 214) male usurpatur:

„Páter inquam, hospités pater me lúmine orbavít, pater.“

ἘΠΑΝΑΣΤΡΟΦΗ est genus quod fit cum ‘prioris sententiae verbum ultimum ac sequentis primum est idem, quo quidem schemate utuntur poetae saepius:

Pierides, vos haec facietis maxima Gallo,
Gallo, cuius amor tantum mihi crescit in horas

sed ne oratores quidem raro: hic tamen vivit, vivit? immo vero in senatum venit.’ Q. IX, 3, 44.

Tro. 853—5. Dum luem tantam Troiae atque Achivis
quae tulit Sparte, procul absit, absit
Argos e. q. s.

866—7. Arte capietur mea,
meaque fraude concidet Paridis soror.

Phoen. 23—4. Qua scelus fugiens novum,
novumque faciens et cetera.

215 sqq. Quem genitor fugis?
Me fugio, fugio conscium scelerum omnium
pectus manumque hanc fugio et hoc caelum et deos.

450—1. Dexteras matri date,
date dum piae sunt.

Phaedr. 1129. Euros excipiunt, excipiunt notos —

Oed. 644—5. (Traham, traham)

ἘΠΑΝΑΦΟΡΆ. *Ἐπαναφορὰ* figura est ubi, „ab iisdem verbis plura, acriter et instanter incipiunt"; ut: „Ideo hanc Eurotas amnis circumfluit, qui pueritiam indurat ad futurae militiae patientiam; ideo Taygeti nemoris difficilia nisi Laconibus iuga; ideo Hercule gloriamur deo operibus caelum merito; ideo muri nostri arma sunt." (S. II, 5), et Ciceronis illud: „Nihilne te nocturnum praesidium Palatii, nihil urbis vigiliae, nihil timor populi, nihil concursus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi senatus locus, nihil horum ora vultusque moverunt?"

Q. D. XII, 19: „Tibi ergo tot civium mortes imputo, tibi stragem populi, tibi liberorum pareotumque miserrimas poenas, tibi quidquid passi sumus, tibi, quod gravius est, quidquid fecimus." [Cf. Med. 498.] „Hac figura," inquit Aquila Romanus (§ 34) „vel frequentissime et Demosthenes et M. Tullius et omnes vehementes oratores utuntur."

Tro. 613—4. Nunc advoca astus, anime, nunc fraudes, dolos
nunc totum Ulixen.

986 sqq. Ad Ulixen vocor:
nunc victa, nunc captiva, nunc cunctis mihi
obsessa videor cladibus.

Med. 488—9. Tibi patria cessit, tibi pater, frater, pudor —
hac dote nupsi: redde fugienti sua.

Phaed. 1188—90. O mors, amoris una sedamen mali,
O mors, pudoris maximum laesi decus,
confugimus ad te; pande placatos sinus.

Oed. 1021—3. Per has reliquias corporis trunci peto,
per inauspicatum sanguinis pignus mei,
per omne nostri nominis fas ac nefas,

Thy. 573—6. Iam minae saevi cecidere ferri,
iam silet murmur grave classicorum
iam tacet stridor litui strepentis;
alta pax urbi revocata laetae est.

ΠΟΛΥΠΤΩΤΟΝ. „Interim", inquit Quintilianus, „variatur casibus haec et generibus retractatio: . . . . Pater hic tuus . . . ., Patrem . . . ., Patris . . ." (IX, 3, 36). In controversiis habemus: „Hic impetus, hic ardor animi domum tuam trinis hostium spoliis adornavit, huic

supplicationes illas debes, propter hunc me, etiam cum abdicas, diligis.“ (C. I. 8, 5).

Hf. 718—20. Hic vasto specu
pendent tyranni limina, hoc umbris iter,
haec porta regni.

Neque solum prima primis, media quoque primis aut mediis aut ultimis respondent, (IX. 3, 34.) quae omnia anaphorae licet adnumerare.

Tro. 895—6. Haec hymen sparsit tuus,
tibi fluxit Asiae, fluxit Europae cruor,
cum dimicantes e. q. s.

Thy. 1068—71. Clausa litoribus vagis
audite maria, vos quoque audite hoc scelus
quocumque, di, fugistis, audite inferi,
audite terrae.

Med. 107—8. Concesso, iuvenes, ludite iurgio.
hinc illinc, iuvenes, mittite carmina.

Phaed. 188—9. Gradivus istas belliger sensit faces,
opifex trisulci fulminis sensit deus.

Tro. 882. Peleus nurum vocabit, et Nereus nurum.

Hf. 212, 980—1, Tro. 117 sqq., 967—8, 1006—8, Phoen. 155—6, 245—6, 550—2, Med. 797 sqq., Thy. 122 sqq., 325 sqq., 856—7, sunt alia exempla.

Frequens est illud *ἐπαναφορᾶς* genus in quo vis orationis in vocem negantem coicitur, ut: Phaed. 483 sqq.: „Non alia, . . non illum . . ., non aura . ., non pestilens . . . , non fragilis . . . ., non ille . . .. haud illum . . .“ Ag. 208-17. Quem non Achilles ense violavit fero . . ., non melior Aiax . . ., non sola Danais Hector et bello mora . . ., non tela Paridis . . ., non Memnon . . ., non Xanthus . ., non nivea proles . . ., non bellicosa . . ., non picta pharetras . . . Amazon.“

H. O. 156—8. Non illum poterant figere cuspides,
non arcus Scythica tensus harundine,
non quae tela gerit Sarmata frigidus.

Cum quibus hoc poetae Goethe conferte:

„Nicht die Nacht, die breit sich bedeckt mit sinkenden Wolken,
Nicht der rollende Donner (ihr hört ihn) soll mich verhindern,
Nicht des Regens Guss, der draussen gewaltig herabschlägt.“

Cf. Octaviae vv. 400—1: Non bella norant, non tubae fremitus truces, non arma gentes.

C. I, 8, 11: „Non me gloria cupidiorem tui fecit, non omnibus admiranda virtus.“

Q. Dec. I, 15: „Non gemitus tuos audiat quisquam, non flebili maerore pascatur.“

XVII, 18. Non querelas post hoc invenio, non verba, non lacrimas.“

XIX, 4: „Non iniecit uxor lectulo manum, non inter exsequias planctibus elisisque uberibus mihi fecit invidiam“,

XIX, 9: Non peregrinationibus excolere mentem, non experiri militiam, non tentare maria, non rura colere, non administrare rempublicam, non ducere volebat uxorem.“

Plin. Pan. 43, 48, 94.

Sal. ep. ad Caesarem sen. de rep. 2, 3.

Sen. Ep. Mor. VII, 3, 25: „Non contremiscamus iniurias, non volnera, non vincula, non egestatem.“ XV, 3, 30: „Non avaritia, non crudelitas modum novit.“

De Clem. I, 15, 5: „Non culeum, non serpentes, non carcerem decrevit, memor e. q. s.“, 26, 5: „Non hostilia arma detracta victis, non currus barbarorum sanguine cruenti, non parta bello spolia.“

De ira III, 15, 1: „Non defuerunt misero verba, non os concurrit,“ et admodum saepe. N. Q. III, 29, 8: Non muri quemquam, non turres tuebantur“, IV, Pr. 16: Non mihi muliebres fluxere lacrimae, non e manibus ullius supplex pependi.“

Apud Ciceronem hoc ἐπαναφορᾶς genus persaepe invenimus: „Non recepit levitas ista, non egestas animi“ (Pis. 24), „Non is est reus, non id tempus, non id consilium“ (Verr. I, 10), „Non rex, non gens ulla, non natio pertimescenda est“ (Leg. agr. I, 26), „Quos non bonorum donatio, non agrorum adsignatio, non illa infinita hasta satiavit.“ (Phil. IV, 9).

ἘΠΙΦΟΡΆ. „In hoc autem (schemate) omnium sententiarum unum atque idem novissimum verbum.“ (Rutilius Lupus[1]) de schematis lexeos). Idem dicit Quintilianus (IX, 3, 30) sed ut nomen non det: „Figura est quoque oratoria, cum in iisdem verbis plura membra desinunt.“

---

1) Seneca (philosophum dico) adulescente floruit.

Pho. 66. Perire sine me non potes, mecum potes.
294. Vitam tibi ipse si negas, multis negas.
Phoen. 367—9. Hoc leve est quod sum nocens,
feci nocentes. hoc quoque etiamnunc leve est,
peperi nocentes.
Ag. 754—5. Vos, umbrae, precor,
iurata superis unda, te pariter precor.

Bene in Troadum versibus 1038—41 per hauc figuram exprimuntur solitudo et aspectus undique idem:

Tro. 1038 sqq. Tenuit querelas
et vir et Pyrrha mare cum viderent,
et nihil praeter mare cum viderent,
unici terris homines relicti.

Inter exempla apud Senecam patrem sunt S. I, 14, 1: „Da ubi castra ponam, ubi signa ponam", „Cetera quemadmodum narrem, nescio: steterim an sederim, quid locutus sim, quid audierim, nescio: hoc unum scio . . ." (C. II, 4, 1). Ibid. 4: „Cogitate quis roget, pro quo roget, quem roget."

Hic ponendae sunt omnes repetitiones in finibus versuum; quae ut saepe hanc figuram non praebent, ita sunt semper ei cognatae; ut:

Hf. 896—7. Tum quisquis comes
fuerat tyranni, iacuit et poenae comes.
Thy. 515—6. Est prorsus nocens
quicunque visus tam bono fratri est nocens.

Cf. „Vis illum veras poenas dare? sentiat quam bono fratri iniuriam fecerit." (C. I, 1, 7).

Alia sunt. Hf. 446—7 (Iovem), 1242—3 (mihi), Tro. 335—6 (licet), 967—8 (tuos), 1006—7 (accidat), Phoen. 409—10 (pius), 526—7 (nefas), Med. 504—5 (pudet), Oed. 685—6 (fides), Thy. 207—8 (metus), 596—7 (voluptas), H. O. 362—3 (amat), 488—9 (?) (palam), 1713—4 (dies).

Rhetorem antiquum idem de talibus sensisse animadverto: „*Ἐπιστροφή* est cum in eadem verba plures sententiae desinunt ,ut . . . Quale forsitan sit:

Similis si cura fuisset,
Tunc quoque fas nobis Teucros armare fuisset
et: Impius ante aras atque auri caecus amore
clam ferro incautum superat, securus amorum . . ."
(Halmii Rhet. Min. p. 52)

KOINOTHΣ.

Hanc figuram ita definit Rutilius ut et ab uno verbo omnes sententiae incipiant et in uno novissimo adquiescant. (Cf. Q. IX, 3, 31).

Phoen. 522—4. Nempe, nisi bellum foret
ego te carerem; nempe, si tu non fores,
bello carerem.

et, nisi cum Leone delere malis,[1] illud in Thyeste:

Thy. 388—9. Rex est qui metuat nihil
rex est qui cupiat nihil.

Cf. C. I, 1, 27: „O graves, Fortuna, vices tuas! ille dives modo superbus rogavit alimenta, rogavit filium suum, rogavit abdicatum suum."

Calp. Flacci Decl. IV: „Dicam, saevite, quum rogem? dicam miseremini quum carcerem rogem?" Q. D. XII, 28: „Ne nos periremus non timuisti, ne repetiti commeatus post diem nostrae mortis applicarentur non timuisti." 273: „Quod protulisti habes; et plus quam protulisti, habes: est quod in rationes tuas, tamquam creditor, referas: est quod in lucrum, tamquam maritus, referas."

DECLINATIO.[2]) Alia est figura rhetorica, ‘cum in iisdem sententiis

---

1) De his versibus excludendis pauca scripsit Leo I, 5, II, 251 et 385. Nonne temporum diversorum coniunctionem (metuit cupiet), quae mihi quidem sola displicet, melius evites, ita ut metuet cupiet legas, vel, quod fortasse ferri possit, metuat cupiat?

Mens regnum bona possidet.
nil ullis opus est equis,
nil armis et inertibus
telis quae procul ingerit
Parthus quum simulat fugas;
admotis nihil est opus
urbes sternere machinis
longe saxa rotantibus:
rex est qui metu(a)et nihil,
rex est qui cupi(a)et nihil,
hoc regnum sibi quisque dat.

Cf. Ag. 596 sqq.

Cur autem nihil opus est apparatu bellico neque defensionis causa neque aggrediendi? Quia

„rex est qui metu(a)et nihil
rex est qui cupi(a)et nihil
hoc regnum sibi quisque dat. et

— „Unus est sapiens cuius omnia sunt nec ex difficili tuenda. Non habet mittendos trans maria legatos nec metuenda in ripis hostilibus castra, non opportunis castellis disponenda praesidia. Non opus est legione nec equestribus turmis." De Ben. VII, 3, 2.

2) Carm. de Fig. vv. 94—96.

crebrioribus mutata declinationibus verba iterantur.' (IX, 3, 72). Ut:

Hf. 706. Ipsaque morte peior est mortis locus
799. Ac se tegmine ingenti tegit.
Phoen. 469-70. Maternum tuo
coire pectus pectori clipeus vetat,
Tro. 31. Quo stetit stante Ilium.
366—7. nobilior tuo,
Polixene, cruore debetur cruor.
982. Regibus reges dedit.
Med. 459. Quo me remittis? exuli exilium imperas.
511—2. Qui prole foeda misceat prolem inclitam
Phoebi nepotes Sisyphi nepotibus.
Phaed. 555. A fratre frater, dextera nati parens
cecidit
721. Scelere velandum est scelus
Oed. 62. Quin luctu in ipso luctus exoritur novus
131—32. Stat gravis strages premiturque iuncto
funere funus.
Med. 233. Nam ducem taceo ducum
Ag. 39. Rex ille regum, ductor Agamemnon ducum
Ag. 1007. Mille ductorem ducum
291. Regum relicto rege
Thy. 911—2. **Atreus**: O me caelitnm excelsissimum
regum atque regem!
115. Per scelera semper sceleribus tutum est iter.
(Huius simile est in Phaedra illud quod supra posui).
169. O scelera semper sceleribus vincens domus
151. Quod metuit auget qui scelus scelere obruit
Thy. 731. Puerone parcit an scelus sceleri ingerit? —

„Scelera sceleribus contexens" Rauschningius ut adnominationis exemplum ex pedestribus Senecae scriptis attulit.

Ag. 342—3. Vel cum montes montibus altis
super impositi . . . .
498. Et prora prorae nocuit et lateri latus
664. Lacrimas lacrimis miscere iuvat
808. Argos nobilibus nobile civibus.
H. O. 171—2. Commoda cladibus
magnis magna patent

525. Hoc docta Mycale Thessalas docuit nurus.

Ovidius hanc figuram mire amavit:
Nostraqne adhaerent ossibus ossa tuis (Her. XII, 122), ibid. 198 (Cum quo sum pariter facta parente parens), XIII, 2 (Haemonis Haemonio Laodamia viro), XIV, 200 (nuda nuda recumbis humo), XVIII, 104 (Fitque novus nostri finis amoris amor), 137—8 (latus lateri), 143 (magnas magnnm), 206 (quae numquam nisi te sospite sospes ero), XIX, 112 (et salvam salva te cupit esse fide).
De talibus Donatus: „Novas studiose, ne illum ab studio: *Παρόμοιον*" (Hec. Prol. alt. v. 11).

Alia sunt: Timet timentes, fracta frangit, capta cepit, amore captae captus, captiva capiet, vicimus victi Phryges, victor vincitur, in quibus saepe etiam *ὀξύμωρον* inest.

Simile est (S. 6, 2) „Victus vocem victoris emisit." Quintiliani exempla sunt Scire . . . scias, iudicio . . . iudicabant.

Quamquam hic usus non rhetoribus Romanis certe debetur sed antiquius est et apud Ennium praecipue insignis:

Phoenix 256. — Stultúst qui cupita cúpiens cupientér cupit.
Inc. sed. LIV, 400. Quíquam quisquam quícquam quomquam
quídque conveniát neget?
Alex. VI. 41. Mater optumarum multo mulier melior mulierum
Med. 242—3. Asta átque Athenas ánticum opulentum óppidum
contémpla et templum Céreris ad laevam áspice.

Figura quae fit cum, ut dicit Quintilianus, primis verbis ultima respondent, sic definit et inlustrat
'ΕΠΑΝΑΔΙΠΛΩΣΙΣ. Rufinianus: „*Ἐπαναδίπλωσις* est cum idem verbnm in eadem sententia et primum est et extremum, ut:

Unum illud tibi, nate dea, proque omnibus unum et: Ipsum obtestemur veniamque oremus ab ipso." (J. R. de Sch. lex. § 9).

Tro. 465—6. Talis incessu fuit
habituque talis.
947—8. Habeat incolumes pater,
dum et mater habeat.
Med. 984. Rediere regna, rapta virginitas redit
Phaed. 240. Ferus est, amore didicimus vinci feros
Oed. 980. Fatis agimur: cedite fatis
Ag. 526. Vehit ista Danaos classis et Troas vehit.
Thy. 1002-3. Adeste, nati, genitor infelix vocat,
adeste.

H. O. 939—41. Para laborem (. . . .
. . . .
. . . . .) horridam poenam para.
1022—3. Testor nitentis flammeam Phoebi rotam
superosque testor.
Cf. Oct. 137-8. Frustra parentis invocas manes tui
Miseranda, frustra, nulla cui et cetera,
„Respice optimos fratres, respice uxorem, filium respice" (Ad Polyb. de Cons. 12, 1).

In suasoriis exemplum est:
„Commune in illis ius totius Graeciae esse; communem victoriam, bellum fuisse commune." (V, 4).

Omnes hae figurae in libris Senecae patris et in Quintiliani et Calpurnii declamationibus, quae traditae sunt, inveniuntur; omnes in libris de rhetorica arte scriptis tractantur. At, inquit, apud omnes illius aetatis scriptores inveniuntur. — Nam omnes in rhetorum scholis instituti erant.

'ΕΠΑΝΟΔΟΣ aliud est „repetendi genus quod simul proposita iterat et dividit:

Iphitus et Pelias mecum, quorum Iphitus aevo
iam gravior, Pelias et vulnere tardus Ulixei . . ." (Q. IX, 3, 35).

Hf. 905—6. Geminumque numen Phoebus et Phoebi soror,
soror sagittis aptior, Phoebus lyrae.
Med. 695 sqq. Cuius immensos duae,
Maior minorque, sentiunt nodos ferae,
Maior Pelasgis apta, Sidoniis minor.
?Phaed. 269—70. Fama vix vero favet,
peius merenti melior et peior bono.

ΠΛΟΚΗ, vel, ut latine dicitur, implicatio aut retractatio, est, „cum idem verbum sententiave ad consummationem superioris retorquetur: . . . .

Quale forsitan et illud accipi potest:
Pan etiam Arcadia mecum si iudice certet,
Pan etiam Arcadia dicat se iudice victum
(J. R. d. Sch. lex. 14).

'Qualia forsitan et haec accipi possunt.'

Hf. 590—1. Quae vinci potuit regia carmine,
haec vinci poterit regia viribus.

Tro. 533—4. Augur haec Calchas canit,
et, si taceret augur haec Calchas, tamen . . e. q. s.
730—1. Discite mites Herculis iras,
an sola placent Herculis arma?
Phoen. 412—3. Nullum teste me fiet nefas
Aut si aliquod et me teste committi potest, et cetera.
Thy. 438—9. Sic concitatam remige et velo ratem
Aestus resistens remigi et velo refert.
613—4. Quem dies vidit veniens superbum,
hunc dies vidit fugiens iacentem.
H. O. 607—8. Cum tot populis stipatus eas,
In tot populis vix una fides
1516—7. Quod nulla pestis fudit Alciden palam
Omnemque pestem vicit Alcides palam.
1577—8. Et comam silvis hiemes recident,
vel comam silvis revocabit aestas.

Ultimum adfero repetendi genus:

Hf. 905. Geminumque numen Phoebus et Phoebi soror
Tro. 38. Non cautus ignes Ithacus aut Ithaci comes
Phoen. 647—8. Cadmus hoc dicet tibi
Cadmique proles.

Multo rarius Graeci has figuras usurpaverunt.

Dissolutionis Genera.

ἈΣΥΝΔΕΤΟΝ. Alius est usus oratorum ut coniunctiones omittant, neque tantum in figura quae praecipue *ἀσύνδετον* vocatur, sed saepe et alias. Quod faciunt et ut declamanti respirationis locus detur (Cf. Q. IX, 4, 18), et ut vox se reficiat aut fortius efferatur (Uxorem, liberos, omnia, amisi), et quod voce exprimere possunt ac volunt quae in aliis scriptoribus exprimenda sunt verbis. Qui igitur fabulas scribit recte facit, si, sicut Seneca, hoc genere utitur. Virtus enim est in eo quod in alio vitium esset,[1]) ut:

1) Cf. Aristotelem (*Ῥητορ. Γ*, 12): *Οὐ γὰρ ἡ αὐτὴ γραφικὴ [λέξις] και ἀγωνιστικὴ . . . διὸ καὶ τὰ ὑποκριτικὰ ἀφῃρημένης τῆς ὑποκρίσεως οὐ ποιοῦντα τὸ αὑτῶν*

Tro. 459—60. Oblita nati misera quaesivi Hectorem —
fallax per ipsos umbra complexus abit.[1]

Quanto minus bene spem abrupte delusam expressisset si adversativa particula membra copulavisset! Veri enim adfectus vincula spernunt neque volunt ad regulam grammaticorum in alios modeste et semper gradatim transire.

Ag. 496—97. Miserisque lucis tanta dulcedo est malae:
hoc lumen optant.
Quem non Strymonii gramine fluminis
Hebrive ripis pavit tyrannus:

845. hospitum dirus stabulis cruorem
praebuit saevis.

Thy. 1105—6. Nec quod nefanda hauseris angit dapes:
quod non pararis.

Melius, coniunctionibus demptis, vis vocis in verba hoc, hospitum, pararis conici potest.

Idem de talibus exemplis sensit Donatus: „Tu illum corrumpi sinis: Deest nam. Sed ferventius *ἀσυνδέτως* dicitur.“ (Comm. in Adelph. I, 2, 17.)

Huius dissolutionis generis pagina omnis exempla praebebit: sed eius figurae quae *ἀσύνδετον* angustius dicitur, nonnulla hic ponenda sunt. Quibus adiciam pauca *πολυσυνδέτου*, cum utraque figura in coacervatione consistat. „Fons quidem unus“, inquit Quintilianus, (IX, 3, 54) „quia acriora facit et instantiora, quae dicimus, et vim quandam prae se ferentia velut saepius erumpentis adfectus.“ Hanc vim *ἀσυνδέτου* sentit Donatus, cum dicit: „Haec *ἀσύνδετα* instantis dominae vultum habitumque demonstrant“. (Comm. in Eun. V, 1, 5.)

Tro. 199—202. Immoti iacent
tranquilla pelagi, ventus abiecit minas
placidumque fluctu murmurat leni mare.
Tritonum ab alto cecinit hymenaeum chorus.

ἔργον φαίνεται εὐήθη, οἷον τάτε ἀσύνδετα καὶ το πολλάκις τὸ αἰτὸ είπεῖν ἐν τῇ γραφικῇ ὀρθῶς ἀποδοκιμάζεται, ἐν δὲ ἀγωνιστικῇ οὔ, καὶ οἱ ῥήτορες χρῶνται.

1) Similem praebent sensum Lucani versus: Sic fata refugit
Umbra per amplexus trepidi dilapsa mariti. (III, 3—4).

Med. 387—96. Flammata facies spiritum ex alto citat,
proclamat, oculos uberi fletu rigat,
renidet: omnis specimen adfectus capit.
quo pondus animi vergat, ubi ponat minas,
haeret: minatur, aestuat, quaeritur, gemit.
ubi se iste fluctus franget? exundat furor.
non facile secum versat aut medium scelus;
se vincet: irae novimus veteris notas.
magnum aliquid instat, efferum immane impium
vultum furoris cerno. di fallant metum!

Phaed. 566—8. Detestor omnes, horreo fugio execror.
sit ratio, sit natura, sit dirus furor,
odisse placuit.

ΠΟΛΥΣΥΝΔΕΤΟΝ mala super mala cumulata, mala cum malis coniuncta, bene exprimit, ut:

Hf. 317—8. Demersus ac defossus et toto insuper
oppressus orbe, quam viam ad superos habet?

Tro. 448—50. Non ille vultus flammeum intendens iubar,
sed fessus ac deiectus et fletu gravis
similisque nostro.

Ag. 137. Fessus quidem et devinctus et pessumdatus
pudor rebellat.

Thy. 68—9. Thy. Ad stagna et amnes et recedentes aquas
labrisque ab ipsis arboris plenae fugas.

Eandem vim habet *ἀσύνδετον*, ut ex Thy. vv. 237—41, quos supra posui, videmus, et ut Donatus quoque dixit in Comm. in Adelph. III, 4, 5 et 36: „P e r s u a s i t n o x, a m o r v i n u m a d u l e s c e n t i a: Haec inferuntur *ἀσυνδέτως* ut multa videantur.“ (V. 5.)

Hf. 116—7. Me vicit et se vincat et cupiat mori
ab inferis reversus.
sed legendum est:
me vicit: et se vincat e. q. s.

1278—81. Purgare terras propero — iamdudum mihi
monstrum impium saevumque et immite ac ferum
oberrat. [*Ἀλληγορία.*]

Tro. 279 sqq. Sed regi frenis nequit
et ira et ardens hostis et victoria
commissa nocti.

Med. 166—7. Hic mare et terras vides
ferrumque et ignes et deos et fulmina.

Nihil autem est aliud quod in his figuris apud Senecam notemus, nisi quod cum quid nuntiatur ἀσύνδετον bene usurpari solet. Cf. Hf. 629—30, Tro. 1063—4, Phoen. 387 sqq., 391 sqq., Med. 879—80. Huius figurae in aliis eius scriptis usurpatae exempla Rauschningii libri paginae 18—21 praebent.

ΣΥΝΑΘΡΟΙΣΜΟΣ. Eadem vis est *συναθροισμοῦ*, cuius figurae multa exempla habemus.

Adiectiva: Hf. 32 (Terribile dirum pestilens atrox ferum), 1004 (Scelus nefandum triste et aspectu horridum), 1280 (Monstrum impium saevumque et immite et ferum), Tro. 909 (Durum et invisum et grave), 1056 (O dura fata saeva miseranda horrida), Phoen. 34 (Semper cruente saeve crudelis ferox), 223 (Nefandus incestificus exsecrabilis), 264—5 (Ignotum efferum inusitatum [!]), Med. 45—6 (Effera ignota horrida), 395 (Efferum immane impium), 123 (Incerta vaecors mente vaesana feror), 678 (Arcana secreta abdita), Phaed. 416 (Torvus aversus ferox), 923 (Ille efferatus castus intactus rudis | mihi te reservas?), 939 (Longinqua clausa abstrusa diversa invia), Oed. 960 (Violentus audax vultus, iratus ferox), Ag. 991—2 (Inops egens inclusa paedore obruta | vidua ante thalamos exul invisa omnibus), Thy. 176 (Ignave iners enervis), H. O. 1721 (Ignave iners inermis), H. O. 261 (Immane dirum horribile), 296—7 (Horrida, incogitata infanda), 1481 (Clara memoranda incluta).

Nomina substantiva: Cuncta iam amisi bona
Hf. 1259—60. Mentem arma famam coniugem natos manus
etiam furorem.

Tro. 578 (Verberibus igni morte cruciatu), 582—6, 862 (Lamenta caedis sanguinem gemitus), 892 (Pestis exitium lues), 961, Phoen. 296—7 (Avidis cruoris imperi armorum doli | diris scelestis, breviter ut dicam, meis), Ag. 45 sqq. (Enses, secures, tela . . . dolus caedes cruor), 112 (Periere mores ius decus pietas fides), 546 (caelum Palladem fulmen mare), Thy. 52 (Odia caedes funera), H. O. 742 sq. (I, profuge, quaere si quid ulterius patet | terris freto sideribus oceano inferis), 878 (Tyrannis regibus monstris feris).

Verba:

Hf. 1041 (Praebeo, occurro, insequor), Med. 390 (Minatur aestuat queritur gemit), 507 (Abdico eiuro abnuo), Phaed. 566—7 (Detestor

omnes horreo fugio execror), Ag. 51 (Consulis torques rogas), H. O. 753 (Ille ille victor vincitur maeret dolet).

Sententiae:

Thy. 237 sqq. Per regna trepidus exul erravi mea
pars nulla generis tuta ab insidiis vacat,
corrupta coniunx, imperi quassa est fides,
domus aegra, sanguis dubius est — certi nihil
nisi frater hostis. Cf. Oct. 102 sqq. et 176.

H. O. 1797. Quis me locus, quae regio, quae mundi plaga
defendet . . .?

Hf. 1138—42. Quis hic locus? quae regio? quae mundi plaga
ubi sum . . .? quas trahimus auras? quod
solum fesso subest?

ΣΥΝΩΝΥΜΙΑΝ. Ultimi duo loci et hi sequentes exempla figurae *πλεονασμοῦ* vel *συνωνυμίας* praebent.

Tro. 747—8. Famulare collo nobili subeat iugum,
servire liceat.

975. Cui famula trador? ede; quem dominum voco?

Ag. 944—5. Excessit, Abiit, currus effreno impetu
effugit aciem.

Cf. „Congregantur quoque verba idem significantia, ut in eundem [Catilinam] alio libro: Abiit, excessit, erupit, evasit". (Q. IX, 3, 46.)

H. O. 423. Unusque Titan vidit atque unus dies
stantem et cadentem.

1271. Prima et ante omnes mihi
fletum abstulisti.

'ΑΝΤΙΘΕΣΙΣ. Hoc genus illis temporibus omnes sectabantur, tota enim aetas arte rhetorica imbuta erat. Quo Seneca quoque, ut ceteri, nimis saepe usus est. Sed exempla proferantur.

Hf. 278. Tandemque venias victor ad victam domum

Phoen. 307. Quid prece indomitum domas?

Hf. 726—7. Cuius aspectus timet
quidquid timetur.

Oed. 108 (Perempta perdit), Ag. 201 (Perde pereundo virum), Ag. 175 (Amore captae captus), H. O. 335 (Captiva capiet), Capta cepit(?). Cf. hoc: „Ita habentes magnas voluptates in magnum malum evasere, captaeque cepere." (De Vit. Beat. XIV, 3.) et Horatianum illud:

Graecia capta ferum victorem cepit.

Quorum similia iam plura alio loco vidimus, ut Fracta frangit, vicimus victi Phryges, victor vincitur.

Nonnunquam in nominibus propriis vis ἀντιθέσεως invenimus:

Hf. 1168. Victor Alcidae, lates?
H. O. 996. Natus Alcidae, times?
840. Austerque lenis pondus Herculeum rapit
Phaed. 97—8. Stupra et illicitos toros
Acheronte in imo quaerit Hippolyti pater.

Hf. 423. Inferna tetigit posset ut supera assequi
64—5. Caelo timendum est, regna ne summa occupet
qui vicit ima.
Tro. 447. Vera ex Achille spolia simulato tulit
537. Sic ille magni parvus armenti comes . . .
Med. 260—1. Cum fraude captae tua
piae sorores impium auderent nefas
333. Parvo dives.
421—3. Liberis unus dies
datus est duobus

Cf. Ovid. Her. XIX, 234:

Iuncta salus nostra est, miserere meique tuique.
Quid dubitas unam ferre duobus opem?

Oed. 252. Qui tarda celeri saecula evolvis rota.
Phoen. 596—7. Coniugi donum datus
arbitria thalami dura felicis feram.

Eandem sententiam dixit rhetor quidam (C. I, 6, 7): „Impotens malum est beata uxor. Cum immensum pondus auri orba attulerit, cum pecunia arcas nostras oneraverit, quid aliud quam beati serviemus?"

Phaed. 111. Et rigida molli gaesa iaculari manu
200—1. Proterva tenera tela molitur manu
regnumque tantum minimus e superis habet.
309. Arsit obscuri dea clara mundi
653. Inerant lacertis mollibus fortes tori.
1195. Iuvenisque castus crimine incesto iacet
Oed. 289. Tiresia tremulo tardus accelerat genu
Ag. 396—7. Et adhuc lacrimas marmora fundunt
antiqua novas.

328—9. Umeroque graves levibus telis
pone pharetras.

857—8. Linqueret cum iam nemus omne fulvo
plenus Alcides vacuum metallo

Κακόζηλον praebet, ut puto,

Néc succedat avo deterior nepos

Thy. 135. Et maior placeat culpa minoribus. [Sc. natu.]

469. Rebusque parvis magna praestatur quies

Med. 93—4. Haec cum femineo constitit in choro
unius facies praenitet omnibus

354. Totiens uno latrante malo.

H. O. 322. Una quot poenas dabis?

608. In tot populis vix una fides

822. Unus ambobus iacet

1126. Régna unus capiet tria.

1840. Quot misera in uno condidi natos parens?

1850—1. Bisque septenos gregem
deplanxit una.

Cf. Don. Comm. in Hec.: „Spe incerta certum mihi laborem sustuli: Sententiose et verum: Incerta certum: Honesta figura quae dicitur ἀντίθεσις“ (Prol. alt v. 9).

Membra membris opponuntur:

Phoen. 104—5. Regna deserui libens,
regnum mei retineo.

632—3. Praemium incertum petis,
certum scelus.

Hf. 1200—1. Luctus est istic tuus,
crimen novercae.

H. O. 995—6. Dextera sternas tua,
sed mente nostra.

1465—6. Occidit dextra sua,
tuo dolore.

Med. 494—5. Hoc suades mihi,
praestas Creusae.

779. Piae sororis, impiae matris.

H. O. 441—2. Caelestis ira quos premit miseros facit,
humana nullos. [Cf. „Nullus sum“: i. e. perii.]

C. I, 2, 12: „Pro pudicitia impudice rogasti.“

II, 2, 4: „Paene qui falsae mortis nuntium miserat, verae recepit." Ibid. 11: „Magnum tibi quam parvo constat exemplum!" C. II, 3, 9: „Irae tuae detractum est nihil (et) tempori multum." C. II, 5, 9: „Deerat iam sanguis, supererat fides."

ὉΜΟΙΟΤΕΛΕΥΤΑ ET ὉΜΟΙΟΠΤΩΤΑ[1] (Q. IX, 3, 75 sqq., Rut. Lup. § 12—14) apud Senecam cum habemus magnam partem fortasse fortuita sunt.

Etiam in Controversiis haec non saepe legimus. Cf. C. I, 17 (optare, rogare), I, 2, 1 (venerunt, recesserunt). Apud L. Senecam ipsum hoc exemplum invenit Opitz (de latin. Sen.): „Illa certissima est virtus quae se diu multumque circumspexit, et rexit et ex lento ac destinato provexit."

In versuum finibus. Versus extremis syllabis hoc modo consonantes multi pro *ὁμοιοτελεύτου* genere habuerunt:

Hf. 263—4 (trahéns, paréns), 289—90 (peténs, efferéns), 752—3 (senéx, latéx), 898—9 (ferám, colám), Tro. 282—3 (dolór, furór), 202—4 (ferént, canént, audiént), 368—9 (cadát, oppetát), 1168—70 (ferám, morám, fleám). Phaed. 179—80 (sciéns appeténs), Ag. 638—39 (pubés, funés), Thy. 682—3 (furéns, trahéns), alia multa. Sed si Seneca praecipue de verbis in hoc loco ponendis curam adhibuisset, non tales scribere debebat versus quales sunt

Phaed 1053—54. Diffugit, omnis frigido exanguis metu
venator horret, solus immunis metu
Hippolytus artis continet frenis equos.

Thy. 81—2. Credite experto mihi:
amate poenas. quando continget mihi
effugere superos?

Cf. Oct. 734—6. Tandem quietem magnus excussit timor.
quatit ossa et artus horridus nostros tremor
pulsatque pectus; continet vocem timor.

Tamen etiam iis poetis, qui saepe, id quod nemo negabit, talia homoeoteleuta sectabantur, minime semper curae erant. Sic in Damasi carmine XXXI (1—6) habemus hos versuum exitus, . . quiescunt | Irene | , . . maneret | . . . probaret | , . . aetas | . . aetas | , in C. XXXII (1—5) . . fateri | . . . . parentem | . . . marito | . . . pudore | . ,

---

1) Cf. L. Buchhold qui in dissertatione: „De Paromoeoseos apud veteres Romanorum poetas usu" (pp. 71—85) hanc partem apud illos multo accuratius tractavit.

amore | ; et in Ambrosii, qui saec. IV p. Chr. floruit, hymno tertio, qui his versibus finitur:

Sit laús Patrí cum Fílió
Sancto simul Paraclito:
Nobisque mittat filius
Charisma sancti spiritus

hi antecedentium versuum fines inveniuntur: ascenderat, venerat, munere, spiritum, dies, septemplici, septies, tempora (vv. 1—8) — reliqui, ubique homoeoteleuto aeque neglecto.

In *κώλων* finibus.

In his autem exemplis quae sequuntur sonus iucundus nostras certe aures fugere non potest: Notanda sunt talia praesertim, quae sine adiectivo fiunt:

Hf. 1073. Lucis requiés noctisque comés.
H. O. 604. Tu quicunque és qui sceptra tenés
632. Colit, hic regés regumque larés

Sed etiam alterum genus non est obscurum:

. . . .

Med. 665 sqq. Aúreum primá revehi carina,
ustus accensó Pelias aeno
arsit angustás vagus inter undas.
622—32. Nec tamen omnis plaga gemmiferí
sufficit Histrí, nec tota sitim
Lydia vincit nec quae Zephyró
subdita tellus stupet auratό
flumine clarúm radiare Tagúm.
nec si totús serviat Hebrús
ruraque divés iungat Hydaspés
intraque suos currere finés
spectet toto flumine Gangen . . .

Sed cum adiectiva, quae necesse est in eodem sint casu quo nomina quibus attribuuntur, apud Senecam paene innumerabilia sint, talia homoeoteleuta (si sic appellari possunt) quasi per se fiunt. Nam si nominis syllaba ultima sub ictu est, etiam adiectivi paene semper sub ictu stare potest, quare cum in his versibus brevibus non possit esse magna talium verborum copia, haud facile ibi non ponantur. Tamen exempla habemus, sicut:

Hf. 584. Tu post terga tui perge viri comes
1884. Tanti pestis superata mali
Phaed 3. Celeri planta lustrate vagi

in quibus homoeoteleuta non adhibentur, quamquam si poeta voluisset adhibere potuit. Talia apud Senecam in tragoediis non habeo, qualia apud Ovidium invenimus, ut, e. g.:

„Neque enim Cereremque Famemque (Met. VIII, 776)
Frigus iners illic habitat Pallorque Tremorque
et ieiuna Fames" (Ibid. 781).

et in tragoedia vetere:

(**Pacuv. Perib. II, 274**): Corpusque meum tali
maerore aegrore macore senet.

Huius generis, modo re vera a scriptore captetur, non difficilem esse animadversionem ex Apuleii Floridis apparet: „Non pavimenti marmoratio, nec proscenii contabulatio, nec scaenae columnatio: sed nec culminum eminentia, nec lacunarium refulgentia, nec sedilium circumferentia; nec quod hic alias mimus hallucinatur, comoedus sermocinatur, tragoedus vociferatur, funerepus periclitatur, praestigiator furatur, histrio gesticulatur." (Apul. Biponti ex topographia soc. 1788 II pag. 141). Alia praebent pp. 132, 139, 140.

'ΙΣΟΚΩΛΟΥ et *ΠΑΡΙΣΟΥ* exempla adferre possum:

Hf. 691—2. Famesque maesta tabido rictu iacet,
Pudorque serus conscios vultus tegit,
Tro. 510 sqq. Fata si miseros iuvant,
habes salutem; fata si vitam negant,
habes sepulchrum.
Phoen. 627-8. Licet omne tecum Graeciae robur trahas,
licet arma longe miles ac late explicet,
fortuna belli semper ancipiti in loco est.
Phaedr. 1188-9. O mors, amoris una sedamen mali,
o mors, pudoris maximum laesi decus,
confugimus ad te. pande placatos sinus.
Ag. 435—6. Iuvat videre nuda Troiae litora,
iuvat relicti sola Sigei loca.
Thy. 613—4. Quem dies vidit veniens superbum
hunc dies vidit fugiens iacentem.

H. O. 1521—4. Dic sub Aurora positis Sabaeis,
dic sub occasu positis Hiberis,
quíque sub plaustro patiuntur ursae,
quique ferventi quatiuntur axe,
dic sub aeternos properare manes
Herculem et cetera.

ΠΑΡΟΝΟΜΑΣΙΑΣ (adnominationis: cf. Q. IX, 3, 69 sqq.) species est cum verbum paulum commutatum iteratur. Fit saepe, ut docet Rutilius, (I, 3), „aut addenda aut demenda aut mutanda aut porrigenda littera aut syllaba... nobilem mobilem, maxime maximo... honori oneri..“ Exempla Cornificius dat: veniit venit, avium āvium temperare obtemperare, lenones leones, navo vano. Quintilianus inter alia: Amari iucundum est, si curetur ne quid insit amari

Hf. 710. Quem gravibus umbris spissa c a l i g o a l l i g a t
1184—5. Tuique n o m i n i s semper mihi
n u m e n secundum
Tro. 301—2. O t u m i d e rerum dum secundarum status
extollit animos, t i m i d e cum increpuit metus.
1048. Terra d e c r e s c e t pelagusque c r e s c e t
1119. F l e v i t que Achivum turba quod f e c i t nefas
1147—8. Omnium mentes tremunt
mirantur ac miserantur
Phoen. 9—10. Non video noxae conscium nostrae diem
sed videor.
301—2. Non patris illos tangit afflicti pudor
non patria.
Cf. C. I, 8, 1: „Quod patriae superest patri vindico“, X, 2, 2: „Quia patriae iudicium hàbeo, patris perdidi.“
487. (Vel prima vel suprema)
Med. 423-4. Fáciet, hic faciet dies
quod nullus umquam táceat.
Phaed. 617. Mandata recipe sceptra, me famulum accipe.
Oed. 591-2. Quidquid aeternae creant
celantque tenebrae,
H. O. 427. Si gener non fit, ferit.
1375—6. Malisque tantis Herculem indomitum refer
mortemque differ.
Cf. frigidam hanc abstractae et concretae notionis coniunctionem:

„Nec piget a Parthis a quibus nondum poenas repetimus, aves petere“: (Sen. ad Helv. M. de Cons. X, 3). In Suasoriis: „Dixit enim sententiam cacozeliae humillimo et sordidissimo genere, quod detractu aut adiectione syllabae facit sensum: Pro facinus indignum! peribit ergo quod Cicero scripsit, manebit quod Antonius proscripsit?“ (S. 7, 11). Apud Rauschningium est, „Stultorum divitum arrosor et, quod sequitur, arrisor“ (Ep. III, 6, 7). Donat. Comm. in Andr. I, 1, 13: „Nam inceptio est amentium haud amantium: „Amabant veteres de proximo similia dicere, ut Cicero ... (armario ... sacrario).“

Gemitus dolores indicat non vindicat
(Append. Sent. apud Ribbeckium, Scen. Poes. 151.)
Occasionem capier non rapier decet Ibid. 257

ΛΙΤΟΤΗΤΟΣ exempla sunt:

Hf. 945. Caeli refulget parte non minima leo
Tro. 825-6. Misit infestos Troiae ruinis
non semel arcus.
Thy. 409-10. Per quae nobilis
palmam paterno non semel curru tuli.
H. O. 133. (Non steriles focos)

ΠΑΡΕΝΘΕΣΕΩΣ: Tro. 830 sqq., Phoen. 167 sqq., Phaed. 35—6.

ΣΥΛΛΗΨΕΩΣ generis, quod *ζεῦγμα* plerumque vocari potest, exempla habemus

Ζεῦγμα. **Hf. 995—6.** Ceteram prolem eruam
omnesque latebras.
Ag. 417—8. Refugit loqui
Mens aegra tantis atque inhorrescit malis
490. Undasque miscent imber et fluctus suas.

Σύλληψις Alius generis sunt: Tro. 1003 (abreptam trahe), Ag. 980 (occulit fratrem abditum), Thy. 727 (colla percussa amputat), Oct. 439 (referat abscissum caput). Cf. Donatum: „Novas qui exactas feci ut inveterascerent: *Σύλληψις.*“ (Comm. in Hec. Prol. Alt. v. 4). Talis *σύλληψις* saepe et *πρόληψιν*, cum se coniungit, ut:

Πρόληψις **Hf. 279—80.** Emerge coniunx atque dispulsas manu
abrumpe tenebras.
367. (Altus sepultas obruet gentes cinis), 472 (Non erubescit Bacchus effusos tener | sparsisse crines),

992 (Vastum coactis flexit arcum cornibus), 1339 (Meque subiectum tuis substitue vinclis), Tro. 514 (teque diversam amove), 650 (Ossa fluctibus spargi sinam disiecta vastis?), 970 (Quas mota classis huc et huc sparsas feret); Med, 735 (Haec scelerum artifex discreta ponit), Phaed. 284 (Per orbem | spargit effusas agilis sàgittas). Alia huius modi Kuehner (II 1, p. 179) congessit.

V. COMPOSITIO.

In compositionis partibus tractat Quintilianus ordinem coniunctionem numerum scribendi genera. Sed, cum in iis poeta non liber sit sed versuum legibus necessitatibusque adstrctius, minus ad nos pertinent.

Ordo.

Quamquam ordine Senecam bene uti potuisse apparet ex *ἀντιθέτου* exemplis.

Oratorum est vocabulum, quod est non, praesertim cum *ἐπαναφορά* (q. v.) efficitur, ponderis gratia in sententiae initio ponere, ut:

„Non te ignobilis tumulus abscondet.“ (S. VI, 5.)

„Non ille te vivere vult, sed tacere ingenii tui superstitem (S. VII, 8), ibid. 9: „Non ille tibi remittit proscriptionem, sed tolli desiderat suam.“

„Non est apud nos maximus honor ultimorum malorum solatium.“ (C. I, 2, 3.)

„Non animus mihi constitit, non in ministerium sustinendi corporis suffecerunt pedes.“ (C. I, 1, 16.)

„Non servorum turba circumstabat, non amicorum.“ (C. II, 4, 3.)

Q. D. III, 16: „Non ignominiae tribuni parere possumus.“

„Non est, non est in hoc homine cuiquam peccandi locus.“ (Cic. Verr. I, 10); „Non ignovit, mihi crede, non.“ (Har. resp. 37.)

„Non cadit in hos mores, non in hunc pudorem, non in hanc vitam, non in hunc hominem ista suspicio.“ (Sull. 75.)

Plin. Pan. 24: „Non tu civium amplexus ad pedes tuos deprimis nec osculum manu reddis.“

Apud Senecam:

„Non est bonum quod incremento malum fit.“ (De Ir. I, 13, 2.)

„Non hic est sine ratione populis urbibusque consensus.“ (De Ir. I, 3, 2), „Non exigimus a te, ut manus ista, exitium familiarium certissimum, ulli salutaris sit.“ (Ibid. I, 25, 1), et multa alia.

Ex multitudine exemplorum quae apud Senecam in tragoediis inveniuntur:

Hf. 348—9. Non equidem reor
fore ut recuset ac meos spernat toros.

400—11. Non ut inflexo genu
regnantem adores petimus.

420—1. Non vincet fidem
vis ulla nostram, moriar, Alcide, tua.

698—700. Non prata viridi laeta facie germinant
nec adulta leni fluctuat Zephyro seges:
non ulla ramos silva pomiferos habet.

936—7. Non saevi ac truces
regnent tyranni.

Tro. 148—53. Non ille duos videt Atridas
nec fallacem cernit Ulixen:
non Argolici praeda triumphi
subiecta feret colla trophaeis:
non adsuetas ad sceptra manus
post terga dabit.

Oed. 1445 sqq. Non silva sua decorata coma
fundit opacis montibus umbras,
non rura virent ubere glebae,
non plena suo vitis Baccho
bracchia curvat. [Cf. metonymiam.]

Qui plura vult, legat Hf. 245, Phoen. 56 sqq., 184—5, 505, Med. 365, Phaedr. 483 sqq., Oed. 37—8, 66, Ag. 73 sqq., Thy. 824—6, H. 1202 sqq.

Eodem ordine verborum bene utitur lingua Germanica cum maiore vi vocabulum »nicht« efferendum est, ut: »Nicht weicht der frei gebor'ne Mann.«

Sed ne aliorum generum obliviscamur, addo

Hf. 450. Famuline fuerant antequam fierent dei?

Tro. 38—40. Non cautus ignes Ithacus aut Ithaci comes
nocturnus in vos sparsit aut fallax Simon.
meus ignis iste est, facibus ardetis meis.

231—2. Alterius esset gloria et summum decus,
iter est Achillis.

753—4. Vatem et insontes deos
praetendis? hoc est pectoris facinus tui.

Tro. 912—3. Perdere est patriam grave,
gravius timere.

Phoen. 592—3. Regia frater mea
habitet superbus, parva me abscondat casa?

Med. 235. Vobis revexi ceteros, unum mihi.

477. Aliena quaerens regna deserui mea.

Ag. 251—2. Rex Mycenarum fuit
veniet tyrannus.

Thy. 598. Ima permutat levis hora summis.

Inter ἀντιθέσεως exempla erant multa hoc genus:

Et adhuc lacrimas marmora fundunt
antiqua novas.

In his exemplis notiones diversae aut secundum naturam magnum inter se habent intervallum aut, quo diversitas magis appareat, nullum.

Idem fere cum adiectiva duo significant, libenter vis notionis augendae causa coniuncta quasi in cumulum congeruntur.

Phaed. 116. Pecoris efferum saevi ducem.

471. Orbis iacebit squalido turpis situ.

Hf. 536 (Et mutis tacitum litoribus mare), Phaed. 763 (Velox celeri pede), 902 (Concitum celeri pede), Ag. 126—7 (Impotens tumido feroces impetus animo), H. O. 700 (Pavida territo vultu), 1212 (Vasta tumidi mole gigantis). Cf. Epitheta.

Ὑπερβάτου exempla duo terve habeo, quae hic ponere licet, nam tota haec pars compositionis inde pendet. Quotiens enim „decoris gratia traicitur longius verbum, proprie hyperbati tenet nomen: Animadverti, iudices, omnem accusatoris orationem in duas divisam esse partes. Nam 'in duas partes divisam esse' rectum erat, sed durum et incomptum.“ (Q. VIII, 6, 65) et „quod verbo sensum cludere multo, si compositio patitur, optimum est, sine dubio erit omne, quod non cludet, hyperbaton.“ (Q. IX, 4, 26.) — Quibus ex verbis apparet quoque quam ineptum sit omnia hyperbati exempla apud poetam colligere.

Med. 605. Rumpe nec sacro, violente, sacra
foedera mundi.

Thy. 334—5. Hunc facinus ingens ausus assumpta in scelus
consorte nostri — perfidus — thalami avehit.

H. O. 1489. Est clara captas inter, in voltu genus
regnumque referens.

Numeros oratorios poeticos inter numeros quaerere laboris paene inriti fuit.

Coniunctionem quoque transibo, quae in poeta suas habet leges.

Compositionis genera.

Genera compositionis varia, quae ultimo loco tracto, optime Seneca abhibuit: in narrationibus plerumque et quotiens instanter acriterque dicendum est 'membratim caesimque' scribit, sicut Quintilianus oratori praecepit; sed periodis quoque in loco bene utitur, quae praecipue oratoriae sunt rationis dicendi. Sed utriusque generis exempla ponemus.

Periodi. **Hf. 839 sqq.** Quántus incedit populus per urbes
ad novi ludos avidus theatri;
quántus Eleum ruit ad Tonantem,
quinta cum sacrum revocavit aestas,
quanta, cum longae redit hora nocti
crescere et somnos cupiens quietos
libra Phoebeos tenet aequa currus,
turba secretam Cererem frequentat
et citi tectis properant relictis
Attici noctem celebrare mystae,
tánta per campos agitur silentes
turba.

Tro. 287—90. Regia ut virgo occidat
tumuloque donum detur et cineres riget
et facinus atrox caedis ut thalamos
vocent, non patiar.

382—96. Quídquid sol oriens, quídquid et occidens
novit, caeruleis Oceanus fretis
quíquid bis veniens et fugiens lavat,
aetas Pegaseo corripiet gradu.
Quó bis sena volant sidera turbine,
quó cursu properat volvere saecula
astrorum dominus, quó properat modo
obliquis Hecate currere flexibus,
hóc omnes petimus fata nec amplius

iuratos superis qui tetigit lacus
usquam est, — út calidis fumus ab ignibus
vanescit, spatium per breve sordidus,
út nubes, gravidas quas modo vidimus,
arctoi Boreae dissicit impetus:
síc hic, quo regimur, spiritus effluet —

Quam bene versus ictus sensui servit, numeri poetici numero oratorio! Aliae sunt periodi:

Phoen. 124—31. Quiquis . . ., quisquis . . ., quique . . ., adverte mentem.
Med. 1—12. Di coniugales, tuque . . ., voce non fausta precor.
Ag. 802—7. At te, pater, qui . . ., supplice et fibra colam.

Admodúm diversa sunt haec caesim dicendi exempla (cf. *ἀσύνδετον*).

Hf. 629—30. Socer est peremptus, regna possedit Lycus,
natos parentem coniugem leto petit.

Phoen. 340—7. Ferte arma facibus petite penetrales deos
frugemque flamma metite natalis soli,
miscete cuncta, rapite in exitium omnia,
disicite passim moenia, in planum date,
templis deos obruite, maculatos lares
conflate, ab imo tota considat domus,
urbs concremetur, primus a thalamis meis
incipiat ignis.

Med. 266—71. Tu tu malorum machinatrix facinorum
feminea cui nequitia ad audenda omnia
robur virile est, nulla famae memoria,
egredere, purga regna, letales simul
tecum aufer herbas, libera cives metu,
alia sedens tellure sollicita deos.

Iam ad finem generum orationis ornandae singulorum perventum est. Quaedam in numero infinito aut celeriter percurri aut omnino neglexi. Quicunque autem et haec persequi volet, facile ex Quintiliano (qui et ipse non pauca tantum nominat) atque aliis, qui de hac arte scripsere, viam comperire poterit.

III. De Usu Scholastico.

Primo et secundo capitibus absolutis, tertius restat — de usu scholastico. Quem tamen in parte priore omnino neglegere nolui, nam usus ab institutione divelli nequit. Sic in epithetis, adfectuum descriptionibus, interrogationibus et in aliis figuris magis usus rhetorum quam praecepta animadverti potuit. Sed iam ad nonnullas quaestiones singulas transeatur, sicubi imitationem scholasticam inveniamus.

Senecam filium patris librum legisse ut consentaneum, ita tragoedias scribenti nonnulla puto in mentem venisse quae apud illum legisset.

Praeter sententias similes, quas suo loco vidimus, alia sunt conferenda, qualia ex parte Leo in editione sua Senecae tragoediarum (Vol. I, 149—59 tractavit.

1. HYPERBOLE ET GENERALITAS RHETORICA.[1])

„Non raro", inquit Leo, „eo colore rhetores utuntur ut ad augendam vim argumenti rem, quam semel evenisse notum sit, ita tangant quasi eadem saepe et adeo semper in simili occasione evenerit." (I, 149.)

Ratio alia talis sermonis figurati utendi haec est, ut sic schemate, in quo cum saepe quaedam auctoritatis species tum saepe occultae insidiae insunt, te vel amicum defendas aut adversarium laedas. Sic filius qui patrem s e n e m luxuriantem dementiae accusat, „Noli pecuniam concupiscere," inquit, „Haec est quae sen e s corrumpit." (C. II, 6, 2), et multa alia exempla infra invenietis.

His modis usurpantur praecipue s o l e o, s e m p e r, n u m q u a m, n u m e r u s p l u r a l i s, p r o n o m e n i n d e f i n i t u m, talia, cum de certo eventu autpersona dicuntur. Idem est genus cum numerus singularis de pluribus personis indefinite usurpatur.

---

1) Cf. L. 149—152.

a) **Solere — imperfectum tempus verbi — semper — numquam.**

Ad ea exempla, quae Leo attulit, Phoen. 154, 163, Tro. 360, Phaed. 92, Hf. 1101, 1343, H. O. 1376, Phaed. 1164, 1166, 1207, Hf. 1336, et alia duo triave de quibus dubitare possis, addo:

Tro. 249—50. At tuam natam parens

Helenae immolasti, solita iam et facta expeto. et apud rhetores: C. I, 7, 4 (Ego rogare etiam pro adultero soleo), Quint D. 371 Sed tibi timeo, soles enim periclitari), 372 (Misereri soleo etiam alienorum), 259 (Tu ignosce, qui soles), ibid. (Recedere iubes a marito tali? non solebat hoc illi apud te nocere), 290 (Succurre qui soles), 309 (. . . spes omnis in animo eius est, quae ignoscere solet), VI, 8 (Iam mei miserere, cuius soles).

Cf. hoc Ovidii, quod Hero de Phrixo et Helle cogitans ad Leandrum scribit:

Ire libet medias ipsi mihi saepe per undas
sed solet hoc maribus tutius esse fretum. (Her. XVIII, 161—2)
nam cur hac vectis Phrixo Phrixique sorore
sola dedit vastis femina nomen aquis?

Hoc totum genus nihil aliud est, nisi veritatis superlationem, quam cotidie audire solemus.

Causá vocandi, Persei, tuos
saepius arcus una atque eadem est
Med. 816. semper Iason

O Cadmi effera
Oed. 627. Cruore semper laeta cognato domus.

Ut et Eugraphius (Comm. in Adel. V, 7, 27) verbis simplicibus scribit: „Sic soleo: Hic mentitur; consuetudinem sibi praestandi dicit.“

Eodem modo Alcmena Herculem plorans imperfectum tempus usurpare potest:

H. O. 765—6. Ad Tartara olim regnaque, o nate, ultima
rediturus ibas.

Sed haec in infinitum exeunt neque sunt nimiis argutiis persequenda.

b) **Pluralis rhetoricus.**[1])

Tro. 568—70. Non facile est tibi
decipere Ulixen: vicimus matrum dolos
etiam dearum

---

1) L. I, 150^3.

Nempe Thetidis dolos significat. In eadem fabula Hecuba Pyrrho:

1002. Perge mactator senum
et hic decet te sanguis

et Astyanacte et Polyxena interfectis sic in mortem invehit:

1172. Mors votum meum
infantibus, violenta, virginibus venis e. q. s.

Phaed. 356—7. Quid plura canam? vincit saevas
Cura novercas , scilicet Phaedram.

Med. 107—8. I nunc, superbe, virginum thalamos pete,
relinque matres!

Sed Medea queritur quod Iason Creusae thalamos appetens, se relinquat.

Tro. 432. Hostes ab imo conditi Dite exeunt (Achilles apparuerat)

Phaed. 478. Sic atram Styga
iam petimus ultro (Theseus et Perithous petierant)

Cf. Suas. II, 16:

„Nos sine deliciis educamur, sine muris vivimus, sine vita vincimus" — Propter Othryadae solius factum, dicit ‘nos’. Hoc quoque genus hodie est frequens.

1179—80. Et te per undas perque Tartareos lacus
per Styga, per amnes igneos amens sequar.

Phlegethon autem solus erat amnis igneus apud inferos.

Ag. 700. Bibere tumuli sanguinem atque arae meum
(De Polyxena et Priamo cogitat.)
Donec furentem simulet ac saeva manu
intendat arcus meque natumque opprimat?

H. O. 431 Sic coniuges expellit Alcides suas.

Iucundum erat comperire Donatum quoque de hoc usu idem sensisse, et eo magis, quod ille rhetor fuit:

„Cui suos liberos comitterent: Nota liberos in significatione et unius filiae. Dignum suos cui liberos comitterent: Multum sonanter et accusatorio strepitu nec masculinum genus nec femininum posuit nec unum sed liberos Sic Cicero: En cui tuos liberos comittas, quum de uno ageret. Et Habemus enim liberos parvos, de puella." (Comm. in Hec. II, 1, 15).

„Turbas, lampadas, tibicinas: Bene totum pluraliter, ut qui reprehendit sic multa" (C. in Ad. V, 7, 9).

„Domus, uxor, liberi inventi . . . et liberi inventi dicit, cum unus esset, sed invidiose liberi . . . et oratorie de uno pluraliter loquimur." (C. in And. V, 3, 20).
Cf. Ibid. Prol. 8. „Et oratorie quasi multa facit cum unum supra dixerit."
„Audaciam meretricum specta: Maior ἔμφασις accusationis est per pluralem numerum, quam singularem. Sic alibi:

An potius ita me comparem
non perpeti meretricum contumelias (C. in Eun. V, 6, 24).

In controversiis multa exempla invenimus:
„Adulterum te esse [dabo] non unum testem, dabo non corruptum, dabo multos, dabo etiam pueros" (C. VII, 5, 4). Sed unus tantum fuit puer testis.

Imperatoris capti pater, qui de proditione suspectus erat, percontatur (C. VII, 7, 1): „Redde rationem quemadmodum redieris tutus, senex, solus cum auro cum etiam imperatores capiantur."

C. X, 2, 6. Dicit filius cuius pater, senex, fortiter fecerat: „Dicam tamen audacter: fortissimus sum, nec timeo in ea civitate hoc crimen, in qua fortes etiam senes novimus."

C. II, 1, 27 (dives filios quaerit), C. I, 1, 6 (qui alunt abdicantur e. q. s.), I, 6. 2 (Eo loco me non deseruit in quem venire etiam patres timuerunt), C. I, 7, 6 (quam care tyrannnicidas vestros emancipat), ibid. 7 (Ubi est patrimonium tuum illud quod tyrannos instruit, quod adulteros facit?), C. II, 1, 21 (suos non amant), Ex C. V (naufragi natant), C. VII, 3, 3 (tribus iudiciis experti estis patres accusare non posse), Q. D. XIII, 1 (quum tam parvis etiam divites moveantur), XV, 7 (quod illas etiam pauperes amant), 388 (ut suos non nisi mortuos agnoscat), ibid. (suos libentius mortuos agnoscat), VI. 18 (Caeci etiam litigare possunt, captivi nec vivere), 331 (qui istum absolverunt, homines mites et misericordes et qui turpissimos quoque cives servare maluerint), 344 (vivunt qui amaverunt).

Nonne de solo Tago cogitans dicit Pacatus (Paneg. Theodosio Aug. D. 7) Hispaniam dum laudat: „Adde auriferorum opes fluminum?"

Ovidii locus (Her. IX, 37—8):

Inter serpentes aprosque avidosque leones
Iactor et haesuros terna per ora canes"

et alter ex Pacati Panegyrico (20) sumptus
„Cuius (arrogantiae) ita maiores nostros pertaesum est ut . . . .

sint coacti post bellatores Tullios, Numasque sacrificos et Romulos conditores regnum usque ad nomen odisse“ transitum monstrant ex hoc usu ad illum frequentissimum quo nominum propriorum pluralis numerus de omnibus hominibus similibus aut rebus usurpatur, ut: „Unde factum est ut maiores nostri viderent Gabinios designatos et repulsos Catones.“ Grat. Act. Iuliano, 18.)

c) Singularis rhetoricus.

Hoc genus contra fieri potest; sic, duobus filiis patris culpa amissis, dicitur: „Misera mater odisse non potest qui filium suum occidit.“ (Ex C. V, 3.) Hoc exemplum, quamquam nullum apud Senecam poetam habeo, ideo posui ut apud alios scriptores talia notaremus.

Apud Quintilianum in declamationibus de uno quidem sed indefinite dicuntur: „Diceris adversus Cimbros puerum probasse“ (III, 5). Miles qui tenera aetate pugnaverat, loquitur. Similia sunt „In qua audeat facere facinus et pater“ (XIX, 3), „Saepe in imum summa decedunt. Ego vidi pauperem auxilia diviti ferentem“ (IX, 17), „Breviter saevissimi languoris definienda mensura est. Non potest ex illo sanari necquem redemerit pater“ (V, 17), „Novum audaciae genus! tyrannidem affectat pauperis filius“ (Pauper ipse loquitur).

d) Pronomina.

Transitum ab hac specie ad aliam, in qua pronomina simili usu de certis personis generaliter ponuntur, praebent

C. II, 1, 14, ubi tres divitis filii „multi divites“ appellantur,

C. II, 2, 1: „Quaedam ardentibus rogis <se> maritorum immiserunt, quaedam vicaria maritorum salutem anima redemerunt.“

De iisdem duabus feminis dicitur:

(Ibid. 11) „Periit aliqua cum viro, periit aliqua pro viro“, et C. X, 3, 2: „Aliqua spiritum viri redemit suo, aliqua se super ardentis rogum misit.“ Cf. Med. 663—4 et Quint. D. IX 22. C. II, 5, 8: „Expectasse aliqua per longum tempus maritum dicitur.“

H. O. 1849—51. Deriguit aliqua mater ut toto stetit
succisa fetu bisque septenos gregem
deplanxit una.

C. VII, 3, 3 (Pater ter abdicati): „Vivunt etiam quibus contigerunt liberi ter abdicati.“

C. IX, (XXV), 1: „Qui in carcere vixerunt, in convivio perierunt“, cum tantum unus homo necatus esset.

De filio apud piratas qui patrem raptum dimiserat dicitur (C. VII, 1, 14): „Non idem omnibus mortalibus natura tribuit ingenium: alius durior est, alius clementior: apud piratas quoque invenitur qui non possit occidere.“

2. DIVISIO.

Saepe apud rhetores una persona, cum de pluribus eius attributis cogitatur, in plures quasi dividitur. Exempla in tragoediis sunt Ag. 262—3, 301, 883—4, Med. 546, 928, Phaed. 998—9, H. O. 1415—16, 1495.

Med. 846—7. Placate vobis munere et multa prece
dominam et novercam. (Medea de Creusa.)

Phaed. 998—9. Natum parens obisse iam pridem scio
Nunc raptor obiit.

Ag. 262—3. Clyt. Permisit aliquid victor in captam sibi
nec coniugem hoc respicere nec dominam licet.

301. Clyt. Haec vacat regi ac viro.

883—4. Horreo atque animo tremo
regemne perimet exul et adulter virum?

Cf. C. VII, 7, 2: „Nolite mirari, et imperatorem et filium vendiderat.“ (Filius erat imperator.) [1])

Ibid. 10: „Et nolo, inquit, cum fili voce pugnare, ut imperatorem et filium mentitum dicam.“

C. IX, 6, 1: „Non est quod putetis has lacrimas aut filiae esse aut reae.“ (De filia rea loquitur.)

C. X, 3, 13: „Nihil agnovi filiae, nihil victae“. (Bello civili filia partes victas secuta erat.) C. II, 3, 2 et 6, Ex C. III, 2, Ex C. IV, 7, C. VII, 7, 6, IX, 5, 15, IX, 6, 9, X, 2, 2 et 9 alia praebent exempla nec non Quintiliani Declamationes. Eodem modo dixit de Traiano Plinius (Pan. 76): „. . . ut plerumque aliena turba subsistere et consulem et principem cogeret.“

Haec duo exempla:

Med. 925. Materque tota coniuge expulsa redit

Tro. 959—60. Lassabar in tot oscula et tantum gregem
Dividere matrem.

---

1) Videmus ut talia aliquando perperam intellegi possint.

similiaque, cum ab altera parte cum *μετωνυμίᾳ* coniuncta sunt, tum ab altera ad proximum locutionum genus — abstractorum et concretorum coniunctionem — acccedunt.

Sed differentiam ex his duobus exemplis videre possumus:

H. O. 388—9. Et pariter labor
materque multum rapuit ex illo mihi.
Id est maternitas et labor vel maternitatis labor.

Tro. 213. Exuit matris dolos falsasque vestes.

3. ABSTRACTORUM ET CONCRETORUM CONIUNCTIO[1])

Ultima sententia huius generis est ad quod iam pervenimus, ubi ea, quae a corporibus seducta cogitatione tantum percipiuntur, cum iis, quae sensui sunt subiecta, coniunguntur, ut:

Tro. 189. Hectorem et Troiam trahens
213. Exuit matris dolos falsasque vestes
319. Interque caedes Graeciae atque ustas rates
segnis iacebat.
353—4. Tu qui Pelasgae vincla solvisti rati
morasque bellis.
484—5. Mole quem immensa parens
opibusque magnis struxit.
1029. Aequior casum tulit et procellas
1120 sqq. Idem ille populus aliud ad facinus redit
tumulumque Achillis.
Phaed. 1101—2. Et pariter moram
dominumque rumpunt.[2])
1178. Animaque Phaedram pariter ac scelere exuam.
Ag. 630—1. De equo Troiano; Cavernis
conditos reges bellumque gestans.
987. Fratrem reddat aut animam statim.
H. O. 107—8. Quisquis sub pedibus fata rapacia
et puppim posuit fluminis ultimi.
798. Volnus et telum ferens.
1430—1. Sed ecce, laesum deserit mentem quies
redditque morbo corpus et luctum mihi.

Tro. 977—8, H. O. 100—1, Med. 238—9.

---

1) Apud Leonem I, 197—200 multa exempla ex aliis quoque poetis collecta sunt.

2) Sed cf. L. I, 198, cuius sententiam veram esse credo.

Cf.: „And leaves the world to darkness and to me. (Gray.)
„In sinu meo et filium et animam deposuit." (Ex C. II, 4),
„Suum quisque illo et ignem attulit et dolorem" (Ex C. III, 8), C. IX, 4, 15: „Tu patrem cecidisti cum et legem nosses et fratrem," „Sumpsi instrumenta mortis, solitudinem et laqueum (Ex. C. V), Quint. D. II, 3 (Cui matrimonium filiumque abstulerat incendium), XV, 7 (Redditus est mihi animus quo senectuti liberisque propsicerem), XIV, 7 (Noctibus populoque concessa).

Apud Senecam ipsum: „Huic (Catoni) tu putas iniuriam fieri potuisse a populo, quod aut praeturam illi detraxit aut togam? (De Contum. II, 4), „Simul et illum (Drusum) et dolorem suum posuit", (Ad Marc. de Cons. III, 5.)

Lucanus unum exemplum praebet:

Regnumque sorori
Ereptum est, soceroque nefas (Phars. V, 63—4).

Ovidius autem solis in Heroidum epistolis haec habet:

„Certus es ire tamen miseramque relinquere Didon,
Atque idem venti vela fidemque ferent?
Certus es, Aenea, cum foedere solvere naves Her. VI, 7—9.
Et positum est uteri crimen et onus mei Her. XI, 64.
Nec mora deposito pariter cum veste timore Her. XVII, 57.
Unda simul miserum vitaque deseruit. Her. XVIII, 202.

Cf. Iul. Rufin. de Sch. lex. § 2. Adhuc talia comica dicuntur:
‚He was the father of chemistry and brother of the Earl of Cork'.
‚The kind people received us with open hearts and arms.'
‚Open your hearts and purses.'

Haec cum sententiis Publilianis, quae dicuntur, adfinitatem habent. Quarum sunt:

Tro. 895. Haec [ossa] hymen sparsit tuus.
Hf. 1313. Hic, hic iacebit Herculis sani scelus
(Scilicet Amphitryon ipse.)
Thy. 282—3. Ingesta orbitas
in ora patris. (De Thyeste liberos suos comesuro.)
Oed. 895. Saeculi crimen vagor..." (Cf. Tro. 7, 243, Phoen. 516—7.

Cf. „Alligatus iacebat crimen ingratae civitatis" (C. IX, 1, 4), et „A parte patris colorem et Publilianam sententiam dedit: Abdicationes inquit, suas veneno diluit; et iterum: Mortem, inquit, meam effudit" (C. VII, 3, 8). Sed ille a patre comprensus venenum effuderat.

Pergit: „Memini Oscum cum loqueretur de hoc genere sententiarum, quo infecta iam erant adulescentulorum omnium ingenia queri de Publilio, quasi ille iam hanc insaniam introduxisset.“

Apud Quint. in declamationibus:

(XII, 16) „Salutem publicam vehis“, ibid. 18: „Spiritus nostros transcribis, salutem nostram exponis.“ (Ei dicitur qui frumentum, quod civitati suae fame laboranti apportabat, alienae vendiderat), XIII, 5, de divite qui flores veneno tinxerat: „Sparsit omnibus floribus mortem.“

4. ADSEVERATIONES.

Dies in noctem versus, ortus in occasum, ignis cum aqua iunctus, flumina retro fluentia, iis qui in nostris tragoediis adseverare volunt, ‚supellectili‘ sunt. Hoc totum genus rhetoricum habet sonum, neque in iis, quas controversiarum reliquias habemus, non invenitur. Similitudo quoque quam loci inter se habent et nimia longitudo usum imitationemque arguunt. Inter exempla sunt Hf. 373—4, Phoen. 85 sqq., Med. 401—5, Phaed. 568 sqq., Thy 476, H. O. 334 sq. Cf. C. I, 5, 2: „Retro amnes fluant, sol contrario cursu orbem ducat, confugiat sacrilegus ad aras; raptorem rapta vindicat.

5. CONTRARIORUM CONIUNCTIO

saepe fit, ut universum genus comprehendatur; sic:

Med. 567. **Med.** Perge nunc, aude, incipe
quidquid potest Medea, quidquid non potest.

Cf. C. I, 2, 8: „Non est credibile temperasse a libidine piratas omni crudelitate efferatos, quibus omne fas nefasque lusus est“ e. q. s.

Diversa sunt Thy. 1030—1 et Oed. 1020 sqq.

Oed. 1020 sqq. Jam parce verbis, mater, et parce auribus.
[Cf. supra, 3].
per has reliquias corporis trunci peto,
per inauspicatum saguinis pignus mei
per omne nostri nominis fas ac nefas.

Nam in hoc ‘fas ac nefas’ filius et maritus latent, et alterum exemplum est eiusdem generis.

Cf. „Ipse per omne
Fas nefasque ruis?“ Phars. V, 312—3.

Mamertini Grat. Act. Jul. 20: „Nil necesse est pecuniam per fas et nefas quaerat.“

„Proverbiales sunt", ut ait Donatus in Comm. in Adel. V, 9, 33 [Quia non iusta iniusta, prorsus omnia omnino obsequor], huius modi elocutiones: Fanda nefanda, digna indigna, velis nolis, fas nefas."

C. in Eun. V, 8, 28: „Si efficio hoc, postulo ut mihi tua domus | te praesente absente pateat: Proverbiale est praesente absente, ut sursum deorsum, ultro citro et cetera huius modi fanda, infanda, iusta iniusta, digna indigna, velit nolit." Talia nemo in sua lingua nescit.

Eiusdem generis sunt apud Graecos *ὄντες καὶ ἀπόντες* et similia: ut in Soph. Antig. 1109:

„ἴτ᾽ ἴτ᾽ ὀπάονες
οἵ τ᾽ ὄντες οἵ τ᾽ ἀπόντες." Cf. Lobeckium (ad Phryn. p. 754) et Langium (parerg. 4. Vind. trag. Rom. p. 49) de quibus Ellendtius in lex Soph. sub voce *ἄπειμι* mentionem fecit. Alia sumit exempla ex Electrae versibus 305—6, et Oed. Col. v. 1001 (*ῥητὸν ἄρρητόν τ᾽ ἔπος*). Novissimum exemplum et hoc ex Plauti Trinummo:

„Comedit quod fuit quod non fuit" (Tri. 360) Nauckius ad Antigonae locum attulit.

6. SINGULA.

Sed iam singularum locutionum paucarum mentionem faciam.

a) Vidi.

Oratores valde amant verba vidi, vidisti, similia, ut: „Vidimus furentia toto orbe civilia arma et post Italicas Pharsaliasque acies Pharsaliasque acies Romanum sanguinem hausit Aegyptus." (S. VI, 6).

„Vidi ego magni exercitus ducem sine comite fugientem; vidi ambitiosa turba clientium limina deserta sub domino sectore venalia" (C. II, 1, 1); ubi de fortunae vicibus incertis Latro loquitur, non de rebus, quas re vera viderat.

„Vidi ebriorum sitim et vomentium famem" (Ex C, IV, 1). Cf. C. II, 6, 9, C. X, 2, 2.

Hic usus in duo fere genera cadit prout proprius usus verbi aut rhetoricam imaginem aut circumlocutionem efficit aut improprie pro alio verbo ponitur.

Apud nostrum exempla sunt

Hf. 50 sqq. Vidi, ipsa, vidi nocte discussa inferum
et Dite domito spolia iactantem patri
fraterna.

60. Viso labantem Cerbero vidi diem
pavidumque solem.

Hf. 737—9. Vidi cruentos carcere includi duces
et impotentis terga plebeia manu
scindi tyrauni.

Tr. 718—9. Vidít pueri regis lacrimas
et Troia prior.

Phoen. 543 sqq. Vidit hostili grege
campos repleri patria, fulgentes procul
armis catervas vidit.

Ag. 612. Vídimús patriám ruéntem nócte fúnestá.

627—8. Vídimús simuláta dóna
molis immensae,

Thy. 272—3. Vidit infandas domus
Odrysia mensas

1062 sqq. Membra nervosque abscidi
viventibus, gracilique traiectas veru
mugire fibras vidi.

Alia sunt Tro. 44, Med. 761, H. O. 462, 469, Ag. 656—8. Cf. Enn. Androm. Aechmal. Frag. IX et XII apud Ribbeckium.

Cic. pro Sest. 85: „Tribunum plebis . . . . iacentem moribundumque vidistis", Cat. IV, 11, Phil. XIV, 27 et saepe. „Vidimus delatorum iudicium quasi grassatorum quasi latronum." Plin, Pan. 34.

Vidit te populus Romanus in illa vetere potestatis suae sede." Plin. Pan. 63. „Vidimus umescentes oculos tuos." Ibid. 73.

„Vidimus te, Caesar, eodem die et in clarissimo pacis habitu et in pulcherrimo virtutis ornatu." Mamertini Pan. Max. Aug. D., 6.

Ibid.: „Vidimus te, Caesar, eodemdie pro republica et vota suscipere et soluta reddere."

„Video carcerem publicum, saxis ingentibus structum, angustis foraminibus tenuem lucis umbram recipientem" (Calp. Flac. IV). Sed re vera nihil videt.

Quint. D. 377 (Vidi alios sterni . . .) XVII, 18 (Vidi truces loquentis oculos e. q. s).

„Sed non multum ad tranquillitatem locus confert: Vidi ego in villa hilari et amoena moestos, vidi in solitudine occupatis similes." Ep. Mor. VI, 3, 8.

Nos primi Senonum motus, Cimbrumque ruentem.

Vidimus et martem Libyes cursumque furoris
Teutonici (Phars I, 254—6). Cf. II, 163, 178, 193.

Nubibus ipsis inserta caput
turris pluvio vapulat Austro,
densasque nemus spargens umbras
Ag. 94—5. annosa videt robora frangi
(In nemore annosa robora fraguntur).

Tro. 219—20. „Vidit Eetion capi
sua regna victus (Id est Eetionis regnum captum
captum est).

Oed. 743 sqq. Horret tantis advena monstris
donec cecidit saeva iuventus
genetrixque suo reddi gremio
modo productos vidit alumnos.

Ag. 339—41. Quale canebas
Cum Titanas fulmine victos
videre dei

Hf. 254 sqq., Oed. 746—7.

„Unde factum est ut maiores nostri viderent Gabinios designatos et repulsos Catones." Mam. Grat. Act. Jul. 19. (Id est, Unde factum est ut Gabinii designarentur e. q. s). „Cum me . . . uno in anno ter videat honoratum." Ibid 21. „Simul humanas hostias vidistis et sepulchra infecta sanguine civili." Orat. Lepidi in Frag. Sall. 14.

Sen.: „Uno enim tempore vidit (Sicilia) Pompeium Lepidumque ex maximo fastigio aliter aliterque ad extrema deiectos." Nat. Q. IV, Praef. 22. „Vidit legiones in conspectu suo caesas et cetera" (Legiones in conspectu eius caesae sunt) Ad. M. de Cons. XX, 4—5. „Voluit quidem ille [dicit Divum Iulium] . . . sed quemadmodum sufficere tam improbis desideriis posset . . .? Vidit itaque strictis circa sellam suam gladiis commilitones suos" (De Ira, III, 30, 3). „Hic qui quater milies sestertium suum vidit. Proprie dixi nihil enim amplius quam vidit" (De Ben. II, 27).

Hf. 547 sqq. Qua spe praecipites actus ad inferos,
Audax ire vias inremeabiles
vidisti[1]) Siculae regna Proserpinae?
Ilio priores quos tulit quondam puer,

---

1) L. I, 157 [13]): „Fuit cum visisti necessario ducerem scribendum esse ..."

Phaed. 649. Cum prima puras barba signaret [nonne signavit?] genas
Monstrique caecam Cnosii vidit domum.
H. O. 22. Vidi silentum fata nec tantum redi, sed . . . et cetera.

Cf. Hf. 606, 871, 1061, Med. 329—30, H. O. 462, 469.

b) Vivere.

Verbo vivere idem sensus et in controversiis et apud Senecam saepius efficitur:

Hf. 1316—7. „Eat ad labores hic quoque Herculeos labor | — vivamus.
Phoen. 319. Jubente te — vel vivet.
Med. 19—20. Mihi peius aliquid quod precor sponso manet | -- vivat.
Cf. C. VII, 3, 2: Hoc si tibi non satis est — vivam.

c) Unus omnium et similia.

Unus (solus) omnium et quaedam similia credo esse rhetorum praecipue. Haec exempla conferre possumus:

H. O. 526. Unam inter omnes Luna quam sequitur magas astris relictis.
809. Unum inter omnes sequitur et quaerit Lichan
1842. Una inter omnes terra quas matres gerit votis peperci.

C. I, 4, 3: „Processit in bellum hic unus omnium adulescentis filii vicarius.“
C. II, 1, 14: „Solus omnium abdicor quia me meus pater diligit alienus adpetit.“
Ex. C. VI, 3: „Unus omnium exheredatus sum dividendo.“
C. IX, 6, 6: Solus omnium magis sensi novercam cum perdidi.“
Q. D. II, 1: „Solus omnium non remittit sibi ut incredibilior sit in parricidio caecus quam si videret.“
Ibid. 24: „Solus omnium servatus est beneficio caecitatis.“ X, 1: „Quae sola omnium supra fidem infelix in uno filio iam alteram patitur orbitatem.“ XIII, 16: „Solae omnium non edunt foetus sed faciunt.“ Calp. Flac. VII: „Soli omnium torti sunt donec mentirentur.“
„Quo [die] tu solus omnium consecutus es, ut . . .“ (Mam. Panegyr. Max. Aug. D, 6)
„Itaque soli omnium contigit tibi, ut . . .“ Plin. Pan. 21.
„Unum tantum exemplum in Senecae pedestribus scriptis invenire

potui: „Soli omnium otiosi sunt qui sapientiae vacant." De Brev. Vit. XIV, 1.

Conferte: Qui solus omnium post memoriam humani generis supplicia in post futuros constituit." (Orat. Lep. Cos. ad. p. Rom. in Sallusti Frag. 6), „(Nemo omnium)" ibid ad Caes. II, 8,

et quae eius modi Merguetii lexico usus inveni apud Ciceronem: „Ne Labinius unus omnium nequissimus existimaretur." (Prov. cons. 12), „Qui unus omnium iustissimus fuisse traditur." (Sest. 141), „Qui sit unus omnium mortalium sine ulla dubitatione deterrimus" (Har. resp. 56). „Qui mihi unus ex omnibus civibus videtur . . . " (Sest. 86),

(An hoc dubitabat quisquam omnium, quin . .) Verr. II, 119,
(Hoc modo quisquam omnium rettulit . . ?) „ I, 36,
(Quis tum erat omnium). Cluent. 55,
(Nemo omnium) Dom. 88.

d) **Mora**.

Quae Leo de verbo mora disseruit non omnia mihi placent; quamquam non negaverim illud Latronis: „Si nihil aliud, erimus certe belli mora," fontem fuisse unde inter alios et Seneca noster hauserit.

Eundem sensum et apud Lucanum invenimus (Phars. I, 99-100):

„Nam sola futuri
Crassus erat belli medius mora

Videtis autem "belli moram" diversis sensibus accipi. Hector belli mora nominatur, quod bellum protraxit ita ut diutinum esset: Iocasta (Phoen. 458) et Crassus quod obstiterunt ne omnino esset. Alium colorem: „Quid illa quae fratrem in moram sequentis sparsit?" (C. IX, 6, 9) quem (p. 155) adfert, credit a Seneca imitatum esse. Sed sexcenties hoc verbum in his tragoediis usurpatur atque significationibus admodum diversis et conspicuis,[1]) quare equidem credo non locos patris libri duos tresve, sed usum suorum temporum pervulgatum Senecam secutum esse.

e) **Spargere**.

De hoc alioque colore, quem in verbo „sparsit" invenit, utile erit, si antequam indicamus, haec exempla legemus:

---

1) Cf. Thy. 761—2 „Amputat trunco tenus
umeros patentes et lacertorum moras.

(Mora) Hf. 1215, Ag. 211, Tro. 124, 813, 939, 1169, 1353—4, Phoen. 46, 246, 458, Med. 35, 149, 281, Phaedr. 587, Oed. 655, H. O. 1199, Pharsal I, 115, 204, 264, 281, II, 525.

(Spargere) Hf. 473, 1227, Tro. 345, 776, 970, Med. 133, 630, Phaedr. 168 (Sparsus Scythes), 1209, Oed. 230, 905, Thy. 370, H. O. 1394 Cf. Oct. 506—7, Q. D. IV, 23 (Nescio quam longe manum sparsurus sit fugientis animi dolor) Pharsal. IX, 752 (Sparsitque iubas [sonipes]) De hoc verbo Donatum adfero: „Statuerem, ut cerebro dispergat viam: Et cerebrum et via dispergi potest, ideo videtur ambiguum, ut apud Vergilium:

Ensemque cruore
spumantem sparsasque manus

Aliter enim dicitur:

Spargite humum foliis

aliter: Sparserat et latices simulatos fontis Averni.“ (Comm. in Adel. III, 2, 18).

f) Meus dies est.

Hanc locutionem, quae semel apud Senecam invenitur:

Med. 1017. Meus dies est; tempore accepto utimur

Leo, ut ex Senecae rhetoris libro assumptam esse probet, haec adfert:

„Occurrit mihi sensus in eius modi materia a Severo Cornelio dictus, tamquam de Romanis nescio an parum fortiter. Edicta in posterum diem pugna, epulantes milites inducit et ait:

Stratique per herbam
hic meus est, dixere, dies

Elegantissime quidem adfectum animorum incerta sorte pendentium expressit.“ (S. II, 12).

Neglexit autem quae sequuntur (13), ubi Seneca hanc loquendi rationem, „Hic meus est, dixere, dies,“ contra Procellum grammaticum defendens, „Muta enim,“ inquit, „ut noster sit: peribit omnis versus elegantia, in quo hoc est decentissimum quod ex communi sermone trahitur: nam quasi proverbii loco est: hic dies meus est.“

g) Alia quaedam.

Hanc partem concludens duo alias res addam, quae cum in tragoediis nostris non inveniantur, tamen hic eas notare non molestum erit.

Dignitate sermonis, nisi fallor, rhetores oratoribus antiquioribus cesserunt, id quod inter alia in exclamationibus apparet.

Qui in schola adesset, saepe audiret exclamantes:

Facinus indignum! (S. VII, 2, 1 et 3; C. VII, 1; Ex C. VIII, 4; C. IX, V, 4; Q. D. VI, 11; IX, 9, 388; O. f. i.! (Q. III, 5);

Di boni! (Con. II, 2, 10; Q. D. I, 17: X, 13; Ex. Amici Vades, 299; Calp. Flac. 5. Cf. Sen. Ep. Mor. II, 1, 4; VII, 2, 2; 86, 8; XV, 3, 24: XIX, 6, 4: De Contum. XVIII; Ad M. de Cons. XVI, 2; De V. B. II, 2; N. Q. IV, 13, 2; Apulei Apol. 94; Plinii Pan. 10; Claud. Mam. genethl. Max. 11; Incerti Pan. Constantino A. d. VII, 8 et 9, et 17,

Pro di boni! (C. I, 6, 1; VII, 2, 7; 'X, 4, 21; Cf. Orat. Phil. in senatu, 3, in Sallusti frag.),

Di te (illum) male perdant! C. IX, 6, 7; XVIII, 10; Cf. De Dra. III, 14, 15.

Di deaeque te male perdant! (C. X, 5, 6),

Di illos deaeque male perdant! (Cf. Sen. Ep. Mor. XV, 3, 21; Ad H. M. de cons. X, 2),

Di deaeque! (Q. D. II, 23; IV, 15; V, 7 et 9 et 21; VII, 4; XIV, 7; XV, 7; XVI, 6 et 8; XVII, 7; 246; 298), Cf. Petron. 125 et Sen. de Ben. VII, 11, 1), O di deaeque! (Q. XI, 2),

Di hominesque!

Fidem deorum hominumque! (Q. D. XVI, 9), F. h. deorumque (Q. D. XVIII, 11),

Pro deorum et hominum fidem! (Calp. Flac. 20 et 33),

Fidem deorum (Q. D. XVII, 18),

(Pro) fidem hominum! (Q. D. Tor. Pauperi. Ex., Infam. in Matr. Excerp.), Fidem iustitiae! et similia, Fidem vestram! (Q. D. IV, 2 et 6 et 21; VII, 11; XI, 1 et 5 et 8; XVI, 1; XVII, 2; XIX, 2; Odii Potio Ex. (?)[1]), Per fidem vesram! (Q. D. XIII, 10), Fidem tuam (Q. D. X, 10), Per fidem! (Q. D. II, 10 et 11 [ter] et 2 et 13 et 15 et 16 [bis] et 21 et 24; V, 9; VII, 4; XI, 4; XII, 21; XVII, 19; XIV, 7; 306).

Quod ex duodeviginti locis ubi Per fidem! habemus undecim in sola secunda declamatione continentur, veri simillimum est aut hanc accuratius quam ceteras litteris mandatam esse aut ab alio de-

---

1) In eo libro, quo usus sum „Fidem veram, iudices" habemus.

clamatam: Hoc est dicere aut in omnibus declamationibus Per fidem! saepe exclamatum esse, aut non omnes eidem esse tribuenda.

Cicero exclamationibus quae sunt „Di deaeque“ et „Per fidem“ nunquam in orationibus usus est, sed „Di immortales“ (O [Pro] d. i.) et „Per d. imm.“, quae apud rhetores raro inveni, duodecenties[2]) dixit.

Terentius in Hec. II, 1, 1 et Andr. I, 5, 11: „Pro deum atque hominum fidem!“ et Hec. I, 2, 59: „Di deaeque te perduint!“

Altera est locutio huic exclamationi non dissimilis ‘si qua est fides‘.

Si qua est fides. (C. I, 1, 18; V, 1; VII, 1, 7; VIII, 3; IX, 4, 5; IX, 6, 19; Q. D. I, 5; III, 3; IV, 2; IX, 10; XII, 8.

Si qua fides est. (S. VII, 6, 9. Cf. Petron. 63: „Attonitis admiratione universis, ‘Salvo’, inquit, ‘tuo sermone, Trimalchio, si qua fides est, ut mihi pili inhorruerunt’“ e. q. s.). Si qua est, iudices, dicenti fides (Q. D. XII, 26). Si qua dicentis fides est (Q. D. XVI, 4), Si ulla mihi dicenti fides est (Q. D. 258). Si ulla est dicenti fides (Q. D. 329).

Cf. „Quamquam, si qua fides, his te quoque iungere Caesar |
invideo. Phars. II. 550—1.

„Linquere, si qua fides, Pelusia littora nolo.“ Phar. IX, 83 et
„Si qua fides vero est, veniens huc esse natator
Cum redeo, videor naufragus esse mihi.“ Ov. Her. XVII, 119—20.

In Lucii Senecae scriptis nusquam invenitur.

---

1) Merguetii „Lexicon zu den Reden des Cicero mit Angabe sämmtlicher Stellen“ ad hunc finem adhibui.

VITA.

Felix parentibus Deum summa reverentia grate colentibus, in suos piissimis natus sum Richard Smith, Virginiensis, haud longe ab oppido Warrenton Non. Aug. anni 1860. Patre Richard prima pueritia, annis septem postea matre quoque Ellen e gente Blackwell orbatus in tutelam piam fratris optimi veni et primis litterarum elementis iam imbutus, institutionem diligentem ab eo aliisque praeceptoribus amatis in schola Bethel per annos septem accepi.

Septendecim annos natus in academiam Virginiensem sum admissus, cuius universitatis decora viros admirabiles, veneratione pia semper colam. Unum et vicesimum agens annum Magister Artium factus sequentes quoque annos duos litteris praecipue Latinis Graecisque ibi studui. Anno ultimo „Instructor“ creatus, Professoris linguae Latinae academici adiutor fui.

Anno 1882 academiae Lipsiensis civibus adscriptus, virorum inlustrium Brugmann, Curtius, Ribbeck, Techmer per semestria duo fui auditor ac Curtii et Ribbeckii benignitate huius Societatis Philologicae, illius Grammaticae exercitationibus interfui nec non Seminarii Philologici. Hieme anni 1883 Berolinum me contuli ubi scholas virorum doctorum E. Curtii, Droysenii, Maasii, Vahlenii, Weberi frequentavi. Vere autem sequenti iterum inter academiae Lipsiensis cives receptus iam altera duo semestria magna cum volupate litteris hic studeo, priore Curtii, Ecksteinii Lipsii, Ribbeckii auditor, hoc Curtii, Gardthausenii Ribbeckii, Windischii.

Webero Berolinensi, Curtio, Ribbeckio, Windischio, huius urbis luminibus pro eorum beneficiis multis atque adfabilitate gratias maximas, quas hic ago, habebo semper.

INDEX.